


ST. NINIANS
CHAPTER
LIBRARY


VERITAS

C. Wordsworth
from his friend
J. Thomas.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΣΤΟΒΑΙΟΥ

ΑΝΘΟΛΟΓΙΟΝ.

JOANNIS STOBÆI

FLORILEGIUM.

AD MANUSCRIPTORUM FIDEM EMENDAVIT ET SUPPLEVIT

THOMAS GAISFORD, A.M.

GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSOR REGIUS.

VOL. I.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXXII.

PRÆFATIO.

NOTITIAM Stobæani Florilegii non historicam modo, quæ solis fere Photii et Suidæ testimoniis continetur, sed et multa de utilitate ac præstantia operis in dedicationibus et præfationibus suis, post hanc meam recudendis, dederunt Gesnerus et Grotius. His adjungantur J. A. Fabricii observata ex Bibl. Gr. Lib. V. c. 25. excerpta, non sine fructu lectoribus meis proponenda, priusquam quæ in hac editione novata sint enarrare aggrediar.

Inter utilissima veterum monumenta, et quæ temporum injuriam bona fortuna evasisse aliquis gaudeat, referri merito debet Ἀνθολόγιον, sive *Florilegium* ἐκλογῶν, ἀποφθεγμάτων, ὑποθηκῶν, *electorum*, *apophthegmatum*, *præceptorum*, quod ex omni scriptorum, quingentorum circiter, poetarum et prosaicorum genere, studio incredibili, in usus filii sui, [a] Epimii sive Septimii, per locos communes omnis philosophiæ, moralis maxime ac naturalis, libris quatuor digessit [b] IOANNES STOBÆUS, quem viri docti malunt Latine dicere [c] STOBENSEM, a Stobis, Macedoniæ secundæ civitim jam notaverat Gesnerus in Epistola Nuncupatoria. Vide p. ix. Nicolaum Στοβῶν Episcopum Concilio Chalcedonensi interfuisse patet ex Concil. ed. Harduin. T. II. p. 371 B. cujus nomen fortasse Erasmi animo obversatum hunc errorem peperit.

[a] Ἐπίμιον habent Suidæ codices in Ιωάννης. Sed Photii cod. CLXVII. Σεπτίμιον, unde Σεπτίμιον malunt Hoeschelius et A. Schottus: Koenigius *Heptimium*. FABRIC.

[b] *Nicolaum Stobæum* dixit Erasmus in Adag. quod codicum Stobæi et Photii Suidæque constantibus testimoniis refellitur. FABRIC. Erasmi errorem, celato tamen ejus nomine, stric-

[c] *Stobensem* vocant H. Valesius ad Malchi Excerpta Legation. Lucas Holstenius ad

tate, quam patriam illi fuisse existimant. Ipse, quis fuerit, vel quando vixerit, neque usquam prodidit, neque alium qui id adnotaret et nos doceret, habuit. Facile tamen universi ejus operis ratio et textura, et quod nusquam sacris vel Christianis scriptoribus utitur, etiam in illis argumentis, quæ sunt ab ipsis pulcherrime exposita, demonstrat ipsum fuisse a Christi nomine alienum. Non longissime quoque duxerim eum abfuisse a temporibus Themistii, philosophi; hic enim omnium, qui a Stobæo laudantur, ætate ultimus fuisse cognoscitur. Neque est quod ingerat aliquis, in vulgato per Gesnerum florilegio citari non modo juniorem longe Simplicium sed et Christianos scriptores, Gregorium Theologum, Paulum Silentiarium, Agathiam, et qui ad Justinianum imperatorem scripsit, Agapetum diaconum. Nam ex Photio, qui auctorum, e quibus Stobæus sua selegit, contexuit nomina, exploratum est, nullum horum ab Stobæo testem citatum esse, verum loca illa ab alia manu, ut Agapeti ab editore Gesnero, accessisse[d].

Idem de Ioannis Stobæi editionibus hæc habet:

Editio Græca Florilegii, sive lib. III. et IV. secundum Photium.

Græce primum lucem vidit Stobæi Florilegium edente Victore Trincavello, ex codice minus integro parumque emendato *Venet.* 1536. 4to. typis Bartholomæi Zanetti.

Stephanum Byz. in Στρόβος, Menagius in Hist. Mulierum Philos. Hemsterhusius ad Pollucem etc. FABRIC. Hic notandum mss. optimos Suidæ Στοβεὺς non Στοβαῖος exhibere.

[d] Rectissime Tyrwhittus præf. ad Λιθικὰ Pseudo-Orphei p. v. "Re accuratius paulo investigata, non dubito loca omnia "Nostri, quæ in edd. Stobæi "post primam leguntur, a Conrado Gesnero interpolata fuisse. Simile quid observavit "Fabricius de locis Simplicii, "Gregorii Theologi, Pauli Silentiarii, Agathiæ, et Agapeti. Equidem loca illa omnia, non solum Agapeti, a "Gesnero inserta credo: ut et "Hymnos Procli duo p. 389. "390. et ex Orphicis, qui vocantur, quinque ibid. et p. "100. tum etiam plures versus "ex barbaro illo scriptore, qui "nomen Phocylidis mentitus "est. Ex vero scilicet Phocylide duo tantum fragmenta, "opinor, conservavit Stobæus "p. 434. 496.

Editiones Græco-latinæ.

Ex Trincavelli editione primum vertit et utraque lingua edidit Conradus Gesnerus *Tiguri* 1543. fol. nullo usus codice ms. nisi fragmento aliquot sermonum, quos ab Oporino acceperat. Innumera tamen loca restituit, collatis scriptoribus qui a Stobæo laudantur, versusque melius digessit.

Secunda editio Græco-latina *Basil.* apud Io. Oporin. 1549. fol. multis modis priori præstat, quoniam in hac ex ms. Diegi Hurtadi Mendozæ non modo longe plura emendavit, sed etiam sententias plurimas et capita integra I. *de Virtute* et VI. *de Intemperantia*, quæ in priore deerant, supplevit, nomina etiam scriptorum, e quibus sua collectanea Stobæus instruxit, longe diligentius adnotavit. Dubito tamen, an omnibus probabitur viri præstantissimi meritissimique de bonis litteris studium, quod aliena etiam nonnulla adtexuit. (v. præfationem Gesneri infr. p. xxii. antep.)

Tertia Græco-latina *Tiguri* 1559. fol. nihil habet peculiare, nisi indicem auctorum, qui a Stobæo citantur.

Quarta Wecheliana *Francofurti* 1581. fol. typorum nitore superiores facile vincit: sed molesta confusione Stobæanis excerptis integra S. Maximi et Antonii Melissæ collectanea admixta exhibet, unde alius capitum numerus, aliusque ordo. Bene tamen est, quod capita Stobæi distincta reliquit, neque, ita ut Maximi et Antonii, inter se confudit.

Quinta *Lugduni* 1608. fol. rectius Stobæum separatim exhibet, cui Maximum itidem et Antonium Melissam separatim adjunxere *Genevenses* 1609. fol.

Partes quædam e Stobæi Florilegio separatim vulgatæ.

Gesnerus, cum notasset Volaterranum haud pauca ex Stobæo, tunc adhuc inedito, in Commentarios suos Urbanos transtulisse, addit a *Varino Phavorino*, Camerte, quasdam breviores sententias, sparsim ex Stobæi collectaneis decerptas, et in peculiarem libellum quatuor vel quinque foliorum redactas, Latina, sed parum felici interpretatione. Prodiit Leoni X. dicatus *Romæ* 1517. 4°. 1519. 8°. *Cracoviæ* 1522. 8°.

Gnomologia Græco-latina h. e. insigniores et vetustiores sententiæ ex magno anthologiæ Io. Stobæi excerptæ a Mich. Neandro *Basil.* 1557. 8°.

Conradi Lycosthenis sententiarum et apophthegmatum e Stobæo et aliis compendium *Basil.* 1557. 8°. *Lugd.* 1571. 8°. ac deinde sæpius alibi.

Fragmenta quædam poetarum a Stobæo laudata eodem carminis genere vertit Latine et cum tribus tragœdiis Euripidis edidit G. Ratallerus *Antwerp.* 1581. 12°.

Stobæi locorum communium epitome *Colon.* 1603. 12°.

Fragmenta Pythagoreorum quorundam e Stobæo desumta Gr. Lat. Gul. Canterus *Basil.* 1566. in 4. atque H. Stephanus inde Laertio suo plus simplici vice edito subjecit. Th. Galeus quoque adjunxit *Opusculis Mythologicis Ethicis Physicis.* Subjuncta itidem exstant cum G. Canteri versione Ethicis Aristotelis Nicomacheis, utraque lingua editis cum vers. D. Lambini &c. *Basil.* 1582. fol. Sed in Thesauro philosophiæ moralis *Lugd.* apud Tornæsium 1589. 12°. et *Genev.* 1613. 12°. una cum Epicteto, Cebete et Theophrasti Characteribus. Denique fragmenta Pythagoreorum politici argumenti collecta e Stobæo cum Io. Spondani versione subjunguntur Politicis Aristotelis a Zwingero et Victorio illustratis *Basil.* 1589. fol.

Dicta Poetarum, quæ in Eclogis tum in Florilegio Stobæus adfert, recensuit ad MSS. codd. vir summus H. Grotius, et elegantissimis versibus Latinis reddita edidit *Paris.* 1623. 4°.

Hactenus Fabricius. Nunc de subsidiis quibus usus sim, necnon de consilio et ratione operæ meæ in emendandis hisce collectaneis positæ summatim agendum. Codices igitur manuscriptos partim ipse partim aliorum auxilio excussi Parisienses tres (A. B. N.), Leidensem unum (Voss.), Florentinum unum (Damasc.), Moscuensem unum (Arsen.), Oxonienses duos (Can. Nov. Coll.), quorum uniuscujusque habitum atque indolem deinceps enarrando persequar.

A. Codex ms. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis nunc quidem n. 1984. olim primo signatus 84. deinde 1420. postea 2656. bombycinus, sæc. XIII. teste catalogi auctore, mea autem sententia non ante sæc.

XIV. exaratus. Hic codex (qui cum reliqua Nicolaí Rodulphi Cardinalis libraria supellectile in possessionem Catharinæ Mediceæ devenerat, propterea *Reginensis* aliquando nuncupatus, veluti Sigismundo Gelenio apud Gatakerum A. M. P. XIV. p. 555. F. Thuani demum auspiciis exeunte sæc. XVI. thesauris Regiis additus est) omnium quotquot usurpare mihi contigit optimus est et absolutissimus, atque ipsis adeo membranis Vindobonensibus, quarum laudes tantopere celebrat Schowius, lectionum præstantia suppar. Principio et fine male habitus est, ita ut sæpe legi non possit nisi summa cum difficultate: interciderunt folia aliquot, unum saltim initio, alterum in fine, plura alias suo loco notata: nonnulla item alienis sedibus collocavit bibliopegi incuria; cujus rei notitiam peculiari schedula, excerptorum item seriem ab editis sæpius dissidentem ostendente, sub exitum quarti voluminis fusius exponendam judicavi, eo scilicet consilio, ut quis codicem hunc olim denuo tractaturus isti operi se accingat minore cum molestia, quam qua ego in collatione instituenda conflictare necesse habui. Scripsit nescio quis in principio: Πίναξ. Στοβαίου Ἠθικὰ, ἤτοι γνωμῶν συναγωγὴ ἐν κʹ, διειλημμένα ἐννέα πρὸς τοῖς ἑκατὸν καὶ δέκα ὧν τὸ ἔσχατον ἄδηλον. καὶ πλέον οὐδέν. Hic [e] capitum numerus nec

[e] In Bibliotheca S. Marci Venetiis servatur codex chartaceus n. 452. continens Macarii Chrysocephali Ῥοδωνιὰν, sive *Florilegium ex variis scriptoribus*, Villoisono primum Anecd. T. II. p. 4. postea Morellio Biblioth. MS. Gr. Lat. p. 318. descriptus. Stobæana habet a p. 114. usque ad 142. teste Villoisono p. 68. Plura Morellius p. 319. "Quoad Stobæum Sententiarum delectus inest, inscriptus "Ἐκλογὴ ἐκ τῆς συλλογῆς Ἰωάννου "τοῦ Στοβαίου τῶν ἑκατὸν καὶ εἴ-"κοσι κεφαλαίων: ex sermonibus "tamen seu capitibus duobus "ac viginti supra centum sen-

vulgato editionum respondet, nec Photiano: expediet fortasse aliquis cui opportunitas dabitur codicem iterum excutiendi, nam quæ capita coaluerint, ego, nisi semel forte, imprudens enotare neglexi. Quot locos ex hoc ms. supplerim, quot rectius constituerim atque emendarim, curiosius persequi supersedeo. Vel una Teletis dissertatio Περὶ αὐταρκείας integritati tantum non restituta V. 67. quantum hic codex cæteris hactenus cognitis præstet, per se satis monstrabit. Non dissimulandum tamen complures egregias sententias hinc exulare, quibus fortasse om-

"tentiæ revera sumptæ sunt. "Sermonum ordo ut in editionibus integris se habet: sententiæ quoque iis ut plurimum "respondent, primo tamen περὶ "ἀρετῆς præsertim excepto, qui "loca etiam ex aliis atque aliis "excerpta continet. Nonnihil "etiam idem habet, quod in "Stobæo non video, ut hoc Teletis περὶ αὐταρκείας dictum ab "argumento proposito alienum: "Δεῖ μὴ τὰ πράγματα πειρᾶσθαι "μετατιθέναι, ἀλλ' αὑτὸν παρασκευάζειν πρὸς ταῦτα πῶς ἔχοντα· "ὅπερ ποιοῦσιν οἱ ναυτικοί· οὐ γὰρ "τοὺς ἀνέμους καὶ τὴν θάλασσαν "πειρῶνται μετατιθέναι, ἀλλὰ παρασκευάζουσιν αὑτοὺς δυναμένους "πρὸς ἐκεῖνα στρέφεσθαι. Lectiones etiam variæ, quarum ratio habenda sit, minime desunt. Sermone ipso primo "Biantis dictum in edit. habet. "Βραδέως ἐγχείρει etc. in ms. "Βραδέως μὲν ἐγχείρει etc. Sermone secundo περὶ κακίας Axinici sententia in edit. αὐτῶν "τὸν τόκον etc. in ms. ἀντὶ τῶν "τόκων etc. Sermone eodem "quæ Lycurgo tribuunt edd. "nonnullæ, ac recentissima "quoque Schowii, Φεῦ, ὡς πονηρὸν etc. veluti Φιλήμονος Ἀγύρτου "codex objicit, ὦ πῶς πονηρὸν "etc. quemadmodum Grotius "ex codice Parisiensi ediderat. "Sermone eodem in Philemonis versu juxta edit. est ἅπαξ "ἅπασιν ὄψεται τρόπον θ' ἕνα: in "ms. ἅπαξ ἁπασῶν ὄψεται τρόπον "θ' ἕνα. Non tamen diffitendum lectionibus vitiosis textum haud parum esse inquinatum, dictaque auctoribus "non suis esse interdum tributa." Hactenus Morellius. Vide Teletis Dissert. V. 67. p. 158. Biantis dictum III. 30. Axinicum II. 2. Philemon. II. 26. 27. Futurum Stobæi editorem hic codex proculdubio valde adjuvabit.

nino careremus, si ea manuscriptorum classis, quam exprimit editio Trincavelli, casu quocunque periisset.

B. Codex ejusdem Bibliothecæ n. 1985. chartaceus, recentissimus, scilicet sæculo XVI. medio fere, ut conjicio, exaratus. Hunc librum quisquis descripsit, ob oculos habuisse videtur non modo alterutram ex antiquioribus editionibus, aut mstum ei similem ex quo editio Trincavelliana profluxit, sed et cod. Parisiensem 1984. vel alium huic in plurimis consentientem. Non alium quam A. librarium secutum esse dicerem, nisi pauca quædam non apud istum mstum obvia e cod. B. enotata reperissem, veluti 12, 2. 20, 32. unde suspicio oborta est vel Mendozæ cod. Gesnero usurpatum vel Vindobonensem ei præ manibus fuisse. Id vero certissimum est, non paucas ex iis lectionibus, quæ aliunde haud innotescunt, exscriptoris ingenio deberi non raro se criticum profitentis: neque minus certum in excerptis ex Xenophontis Hierone 49, 30—46. multa additamenta non ex Stobæano sed Xenophonteo exemplo accessisse. Cæterum hunc codicem (Brunckii manu olim versatum, cui noster A. ignotus fuisse videtur) meos in usus cum editione Trincavelli commisit Theodorus Sypsomus, natione Græcus, munere hoc satis diligenter functus.

N. Codex Bibliothecæ Regiæ n. 2092. chartaceus, recentissimus, cursim tantum a me inspectus. Convenit in plerisque cum editione Trincavelli. Iis in locis cum Genevensi editione contulerat Grotius, qui in A. desiderantur. Ubicunque hunc codicem ad partes voco, id facio secutus collationem Grotia-

nam, quum mihi Parisiis agenti tempus non suppeteret aliam de novo conficere.

Voss. Codex ms. olim Is. Vossii, nunc vero Bibliothecæ Academiæ Leidensis, satis accurate delineatus Valckenærio Diatrib. Euripid. p. 198. a me collatus a. 1816.

Damasc. Codex ms. Parallelorum sacrorum Ioannis Damasceni, servatus Florentiæ in Bibliotheca Laurentiana VIII. 22. cujus notitiam prodidit Bandinius Catal. T. I. p. 369. In hoc codice legitur appendix ex integriore Stobæanorum collectaneorum exemplo deprompta quam quo hodie utimur. Apographum ejus sibi fieri curaverat Ruhnkenius, nunc Leidæ custoditum: id ego nunquam vidi: excerpta tantum Wyttenbachii teneo, qui ea mihi tractanda peramice obtulit, simul affirmans se ex Ruhnkeniano libro omnia fideliter descripsisse quæ apud Stobæum hodie non comparent, reliquis vero in locis variantes lectiones sedulo enotasse. Ut autem de indole codicis melius et rectius judicare possem, (quando Wyttenbachius, inedita tantum sectatus, seriem fragmentorum, uti in codice exstant, indicare supersederat) Ruhnkenianum exemplum rogatu meo evolvit, singulaque inde lemmata una cum sententiarum initiis excerpsit Janus Bakius, vir exquisitæ doctrinæ laude florens, multisque nominibus mihi carissimus. Impetravi item ab Elmsleio, Florentiæ commoranti, ut locis nonnullis Damasceni codicem inspiceret, cujus opera sæpius mihi profuit, ac præcipue in Archytæ fragmento p. 46. Supplementa, quæ magnam partem ad Eclogas phy-

sicas et ethicas spectant, seorsum sub finem voluminis quarti imprimenda curavi una cum initiis sententiarum eo ordine collocatis quo in scripto libro leguntur. Nam ipsas quidem sententias apud Stobæum obvias repetere inutile putavi, præsertim quum varietatem lectionis reliquorum codicum testimoniis immiscuerim. Musonii disputationibus subjunxi commentarium Wyttenbachii editum in Philomath. Lib. I. II. Cæterum lector statim per se intelliget librarium vitioso exemplo usum esse, vel menda de suo intulisse, quæ in multis satis certa conjectura sanare non potui. Pleraque igitur, ut inveni, sic reliqui.

Arsen. Arsenii Monembasiæ Archiepiscopi Violetum, quod e Bibliotheca S. Synodi Moscuæ cum Ruhnkenio communicaverat Christ. Frid. Matthæi, Ruhnkenius conferendum permiserat Wyttenbachio, qui excerpta sua mihi describenda commodavit. Idem ne sit an diversum opus cujus meminit Bandinius Catal. Bibl. Laurent. T. I. p. 549. equidem nescio. Mediceum codicem eadem habere atque editio Arsenii Fabricio laudata Bibl. Gr. T. I. p. 744. ed. Harles. ibidem negat Bandinius.

Can. Nov. Coll. Uterque codex valde recens, ejusdem ac N. classis, ille chartaceus, ex Bibliotheca Matthæi Aloysii Canonici nuper in Bodleianam invectus, hic membranaceus manu Zachariæ Calliergi Romæ exaratus a. 1523. inter msstos Collegii Novi custoditus. Hos codices cum ed. Trincavelli in plurimis consentientes non nisi in locis suspectis consului. Ex Nov. Coll. peti videntur variæ lectiones in ora exemplaris Wassiani in Bibliotheca

Collegii Ænei Nasi adservati, quarum apographum nactus est Schowius, neque ego neglexi.

Suppeditavit Leidensis Bibliotheca exemplar Stobæi Genevense 1609. ab Hugone Grotio cum duobus Parisiensibus (nobis ut Grotio A. N.) collatum. Grotianam collationem a me exscriptam ad Cod. A. ipse exegi, quo pacto non modo plurima viri magni omissa supplere, sed et errata quædam corrigere potui. Usurpavi quoque ex eodem gazophylacio commodatum editionis Grotianæ exemplum ab ipso editore passim refictum, unde et prolegomena, et versio latina, et notæ auctiores simul et emendatiores prodeunt. Et plura fortasse ejusmodi daturus eram, si nodos Grotianæ scripturæ, quæ sæpenumero intricatissima est, facilius exsolvere potuissem.

Minorem fructum percepi ex Gatakeriano editionis Grotianæ exemplo ibidem conservato, cujus margo parallelis locis scriptorum utriusque linguæ undecunque allatis, nunc magna ex parte occupatis, stipatur, emendationes vero corruptorum aut interpretationes difficilium locorum fere nullas præbet.

Ex adversariis Valckenærii omnia ad Stobæum pertinentia mecum humanissime communicavit L. C. Luzacius. Nec multa sunt ea, neque valde ab iis diversa, quæ in animadversionibus ad Euripideas fabulas et alibi protulerat vir summus: at sunt pauca tamen nova, nec Valckenærio indigna. Reliquerat autem Valckenærius exemplum Stobæi sua manu passim notatum, quod cum cæteris ejus libris auctione Luzaciana a. 1811. distractum quo devenerit prorsus ignoro.

Exempla Salmasii et Tyrwhitti in Museo Britan-

nico Londini custodita vicariis amicorum oculis lustravi. E Tyrwhittianis ea dedi, quæ ab aliis non videram præcepta: Salmasiana, neque multa ea neque magni momenti, mihi cognita sunt non nisi postquam omnes titulos absolverat typographus.

Wakefieldianum exemplum editionis Tigurinæ a. 1559. ipse possideo, cujus margo per totum opus conjecturis oppletur, nonnunquam bonis, sæpius autem ne speciosis quidem. Percurrerat Stobæum suo more festinanter Wakefieldius, omniaque sibi inter legendum animo obversata scripto consignaverat, tum ipsius propria, tum aliorum, nulla distinctionis interposita nota qua sua ab alienis segregaret. Hinc fit ut nonnunquam Wakefieldio aliena tribuerim veluti 1, 65.

Habui præterea omnes editiones quarum mentionem fecit [f] Fabricius: una, Schowio teste, impressa Dilingæ 1556. carui, non sine suspicione tamen ficti tituli, quum apud bibliographos nec volam nec vestigium istius editionis reperirem. Harum editionum duæ tantum usum criticum præbent, nimirum Trincavelliana, et Gesneriana altera Basileæ excusa. Utrum Trincavellus codicem Venetum accurate et seposita omni correctione secutus sit, sciemus si-

[f] Stobæi editionibus accenseri debet Frobeniana sententiarum collectio quæ prodiit una cum Callimacho *Basil.* 1532. 4to. sub hoc titulo: *Γνῶμαι ἐκ διαφόρων ποιητῶν φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων συλλεγεῖσαι κατὰ στοιχεῖον συντεταγμέναι.* Quantum ex collationibus meis judicare possum, hæc collectio in multis persimilis est Vossiano Stobæi msto et Arseniano Moscuensi. Seriem titulorum et fragmentorum in peculiarem indicem sub finem vol. 4ti. retuli. Vide Gesneri præfat. infra p. xiv.

quando codex iste a viro aliquo docto tractabitur: interim hoc monebo, codd. Oxonienses in mutilationibus et mendis Trincavello mire congruentes, interdum diversos abire, melioresque lectiones aut meliorum vestigia suppeditare: v. g. 1, 64. uterque habet ὀπτίλων cum A. pro ὀμμάτων.

Gesnerus, qui in Tigurina editione a. 1543. locos satis multos, præsertim Platonis Xenophontis et Plutarchi, secundum vulgatos libros eorum scriptorum postposita Trincavelli auctoritate exhibuerat, nactus postea ex Mendozæ bibliotheca codicem multo auctiorem, Basileæ 1549. novam recensionem dare instituit. Et profecto si bonis oblatis recte uti scivisset, nobis sane nihil reliquisset nisi forte perexiguum omissarum lectionum spicilegium. Non enim dubito Mendozæ codicem (qui teste Iriartio Catal. Bibl. Matrit. p. 277. regis Hispaniæ bibliothecæ postea accessit) plane similem ei fuisse, quem A. voco, ita quidem ut alter ex altero fuerit descriptus. Sed ut ut hoc, negari nequit Gesnerum non modo vitia prioris editionis non sustulisse, sed novis etiam cumulasse, quando plurima absque ulla auctoritate interpolavit, neglectis interim permultis codicis sui egregiis lectionibus, et sæpenumero resectis, quas ibidem repererat, integris sententiis.

Schowii editio cujus primum volumen prodiit Lipsiæ 1797. imperfecta semper manebit, subsidiis editoris funesto incendio absumptis. Quot ei ad manus fuerint codices manuscripti, docebunt ipsius monita, quæ ex addendis ad Chartam Papyraceam Musei Borgiani Romæ publicatam a. 1788. necnon

ex Epistola ad Heynium Romæ data 1790. iteranda curavi.

Atque hæc hactenus. Superest ut consilium meum, et rationes quas sequendas statuerim, breviter exponam. In primis igitur efficere volebam, ut liber talis prodiret, qualem eum Stobæus reliquerat. Proinde interpolationes Gesneri abigendæ erant, et scriptura excerptorum non ad ipsorum auctorum hodiernas editiones conformanda, sed ubique ad Stobæanorum exemplarium fidem instauranda. Quod si pauca quædam ex Gesneriana recensione remanserint, ea utique sunt uncinulis plerumque circumdata: si vera scriptura, h. e. scriptura codicum, in contextum non sit recepta, eam reperiet lector in subjecta annotatione fideliter repositam. Vellem sane ne levissimum quidem ejusmodi futuro editori reliquisse corrigendum: sed volentem omnia me ad eandem normam dirigere plura represserunt, nemini facile explicanda cui talium rerum desit experientia.

Secundo, officii mei esse putabam viam ad fontes unde Stobæus sua hauserit aperire indicando numeros paginarum versuum vel capitum secundum divisiones optimarum editionum enotatos: hos non solum in annotationibus contextui subjectis memoravi, sed et in indicem lemmatum retuli. Numeri singulis fragmentis præpositi lectoribus erunt valde utiles: neque minus ii in summo et ad latus dextrum uniuscujusque paginæ appicti, paginas et versus editionis Gesnerianæ 1609. criticis plerumque citatæ monstrantes. Indicum, quos confeci, utilitatem non est quod multis commendem.

Quod reliquum est, si mihi olim dabitur occasio edendi alterum Stobæi volumen, Eclogas Physicas et Ethicas vulgo vocant, addenda subjiciam quibus errata in his libris emendare, et omissa supplere conabor.

CORRIGENDA.

T. I. p. 19. n. κέάρεσθαι] l. ἀρκέεσθαι.
20, 1. Κύπριος] l. Κύπριοι.
26. n. [f]. *Adde*, Vulgo ᾧ—ἀγαπᾷ.
30. n. col. 1. l. 4. ab im. *pro* V. 53. *l.* V. 45. *Mox* n. [b]. *pro* Wakefieldus *lege* Canterus.
35. n. [q]. *Pro* Galeus *lege* Canterus. *Et sic sæpius in seqq.*
92. n. col. 1. *post* 249. *adde,* Vide p. 743. Pott.
99. n. [b]. *adde* νομίζειν δεῖ Damasc. Maximus p. 209.
n. [f]. τις ἂν ε. Damasc.
100, 17. τὴν ἡγεμονοῦσαν] l. τὴν ἡγεμόν' οὖσαν.
146. 17. n. [a]. *pro* CXIII. l. CXII.
153, 17. Κύπριος] l. Κύπριοι.
157, 13. μάχη] l. μάχῃ.
158. pen. τρέφεσθαι] l. στρέφεσθαι.
168. 84. n. [a]. *pro* 112. *l.* 117.
188. n. [d]. In τάλαν latet forte εἰ δ' ἂν.
215. n. [a]. *Adde,* Plutarch. ibid.
236. 23. Deleantur uncini, et annotatio sic reformetur: Æschyli versum habet A. post 3, 1. et Trincavellus post 5, 11.
263. n. *pro* 68, 69. *l.* 62, 63.
268. n. *pro* 70. *l.* 64.
296, 6. ὁ Γύγων] Salmasius corrigit ὁ τυχὼν vel περιτυχών.
299, 6. πολύτροπον *pro* πολύπονον mavult Heusdius Spec. Crit. Platon. p. 17. Sed vv. καὶ πολύπονον cum A. omittit Jamblichus V. P. 205.
337, 18. ἔχωμεν—ζητοῦμεν] μὲν ἔχομεν, τοῖσδε—ζητῶμεν Porsonus *Tracts* p. 255.
338. n. 5. *pro* CXIV. *l.* CXIII.
341, 11. χαλεπὸν] Salmasius, οὐ χαλεπὸν δὲ μὴ——
366. 28. n. [b]. A. *deleatur.*
367. 36. n. [b]. αὐταῖς Damasc.

T. II. p. 9, 9. τοι] σοι A.
32, 17. n. [a]. *pro* III. *l.* VII.
62, 29. n. [b]. Nescio an leg. καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ὅσ' ἔστ', ἔστ' ἔνδοθεν.
104. 25. Menandro tribuit Clericus 180. secutus Apostolium XIII. 77. Pro ἐγχωρίοις Bentleius ἐπιχωρίοις.
160. pen. 123. τοῦ αὐτῷ] Lege, 123. Ἐν ταυτῷ.
204. 22. Cum numerus 22 bis ponatur, præfigenda est stellula sic, *22.
230. 41. leg. *41.
481. 23. leg. *23.
502. n. h. *Adde,* Jacobsius ἀνηβῆσαι, appositis Theognidis verbis.

CORRIGENDA.

T. III. p. 29, 2. ἄρχει] ἀρχὴ Salmasius.
37. 4. n. [c]. *l.* οὐ ῥᾴδιαι.
56. 28. *Pro* Μελέαγρος *l.* Οἰδίπους.
117, 16. μανίη] Salmasius ἐν μανίῃ.
134. 6. l. Διογένους.
151. 10. Ἀρκεσιλάου huic sententiæ præfigit A.
195. 4. n. [b]. φρονήσεθ' Damasc. qui mox φρενῶν pro βροτῶν.
214, 11. l. Ἀλκμαίωνι.
219. 3. πλοῦτ'] l. πλοῦθ'.
263. 16. n. [c]. ζεύγλαν ἀσχάλλει item Salmasius, qui citat ex Æschylo μελανόζυγ' ἄταν (Suppl. 538.)
385. 61. n. [b]. *l.* ὅσοι A. B.
454. 31. Ἑρμάρχου Froben.

DOCTISSIMO PETRO BEMBO

VICTOR TRINCAVELLUS. S.

CUM his diebus, Bembe, eruditionis decus et splendor, Joannis Stobæi ἐκλογὰς ἀποφθεγμάτων, quæ jampridem latuere, ad studiosorum commodum et utilitatem in publicum essem editurus, (opus, mea quidem sententia, ut probatissimum, et nobile, ita ad humanam vitam erudiendam, et formandam etiam, aptissimum et utilissimum, utpote in quo præclarus ille vir illustriores Græcorum authorum sententias, quasi pretiosiores gemmas, et margaritas, ex amplis et antiquis Græciæ thesauris depromptas miro quodam ordine in unum supra centum et viginti libros tanquam in totidem nobilissima monilia digessit) sperabam equidem illas doctis viris, vel semel degustatas, gratas ac jucundas fore. Illud vero perspectum habebam longe gratiores et jucundiores futuras, si tuis auspiciis tuoque statim in fronte nomine prodirent insignitæ. Cum, ut eximias tuas virtutes, singularemque humanitatem, ob quam boni te omnes amant (absit assentatio) colunt, et venerantur, silentio nunc prætercam, nemo in præsentia sit quamvis doctissimus, qui te bonarum literarum alumnum, ac etiam parentem optimum, et studiosorum omnium fautorem eximium non agnoscat, et prædicet. Te enim authore et fautore, tres illæ, quæ nunc in primis florent linguæ, Græca, et utraque Latina, prisca illa et nostra hæc vernacula, pristinum decorem, gratiam, et elegantiam, contra temporum injuriam et indoctorum inscitiam, jam recuperarunt. Ad te igitur Stobæum mitto, cum ut ex ædibus tuis primum prodiens in doctorum hominum manus gratiosior perveniat; tum ut illi hoc etiam, sicuti aliis fere innumeris argumentis, cognoscant, quam tu benigne hos, qui rem literariam quoquo modo amplificare student, amplexeris et foveas. Ego enim (ut ingenue fatear) hujusmodi provinciam authorum celebrium monumenta ad interitum vergentia in lucem revocandi ea potissimum causa sum aggressus, quod te huic honesto meo desiderio nunquam defuturum speravi, ut quotiescunque occasio postu-

laret, ab insigni bibliotheca, quæ tuæ, tanquam optimarum literarum assertoris præcipui, a Veneto Senatu custodiæ ac tutelæ tradita est, quicquid ad rem literariam illustrandam et augendam faceret, id omne per humanitatem tuam accepturum me semper credideram. Interim autem Stobæi patrocinium suscipias, meque inter tibi deditissimos ascribas velim, qui tunc mecum præstantissime agi putavero, cum a te hujusmodi labores mei fuerint probati. Quod quidem si factum fuerit, alia præterea multa, nisi majora, non minora saltem, quæ jamdiu parturio, Deo primum optimo maximo, teque deinde, ac viris optimis juvantibus, quam libentissime pariam. Vale.

Venetiis pridie cal. februarias.

PRÆCLARIS ET NOBILIBUS VIRIS

D. JOANNI JACOBO A WATTENWILL, ET D. JOANNI FRANCISCO NÆGELIN,

MAGNIFICÆ HELVETIORUM REIPUB. BERNENSIS CONSULIBUS DIGNISSIMIS, TOTIQUE SENATUS ORDINI AMPLISSIMO, DOMINIS SUIS COLENDISSIMIS,

CONRADUS GESNERUS TIGURINUS,

SALUTEM ET PACEM IN DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.

NON possum equidem illos probare, Clarissimi viri, qui morem antiquitus receptum, ut quisque ingenii et lucubrationum suarum opera, quæ in publicum exire velit, aliis nuncupet quos amat aut reveretur, ceu parum liberalem criminantur. Cum enim cæteris hominibus aliquod doctrinæ opus dedicare humanitatis et amicitiæ signum est illustre, tum illis præcipue, qui magistratum gerunt, hujusmodi libros offerri par est, partim quoniam ita nos eis plurimum debere testamur, partim ad philosophandum hoc modo allicimus. Atqui Plato tum demum rempub. optime habituram pronunciavit, cum aut principes circa philosophiam, aut philosophi circa imperium versarentur. Cæterum ut hoc opus Io. Stobæi, nunc primum opera mea Latinitati donatum, Excellentiæ vestræ inscriberem, multæ quidem sunt causæ, quæ me impulerunt id ut facerem, præcipue autem duæ: altera, quoniam Lausannæ stipendio vestro liberaliter conductus, Græcas literas illic per triennium pro virili mea docui, ubi forsan etiamnum agerem, nisi certæ rationes in patriam me revocassent: altera, quod amplissimus ordo vester permultos habet viros, qui vel in clarissima urbe, vel pulcherrima ditione vestra rempub. moderantur, in humanioribus disciplinis aut eximie, aut saltem mediocriter eruditos: et illi etiam, qui peculiares ob causas et occupationes literas non didicerunt, quod non mirum est in tanto senatorum democratico numero, sedulo tamen interim melioribus studiis, et bonis doctisque hominibus patrocinantur, ac Mecænates fidissimos

agunt, una cum bonis literis et earum cultoribus religionis quoque sinceritatem promoventes: non secus ac elephanti, qui cum natare nesciant, juxta ripas fluviorum obambulare gaudent. Adducerem hujus rei testimonia, et contexerem catalogum doctorum hominum, qui in regione vestra, aut Evangelium pure docent, aut linguas, et bonas scientias profitentur, quibus et stipendia liberaliter largimini, et bibliothecas instruitis, nisi plures illi essent, quam in præsentia enumerari conveniat, et res ipsa luculentior, quam ut a me prædicari sit opus. Itaque ut beneficiis vestris olim in me collatis non ingratus essem, ac vos maxime dignos literato munere declararem, hosce Stobæi communes locos Excellentiæ vestræ nuncupare volui. Non poterit autem opinor id vobis ingratum esse, quo ego meam erga vos gratitudinem summa diligentia probare conatus sum.

Quinetiam argumentum hujus libri omnino politicum est, et magistratui aptissimum. Habet enim plurimos sermones *morales*, *œconomicos*, et *politicos*, quorum numerus est supra centum viginti: perpauci enim sunt qui ad tres istos generales non pertineant. *Morales* de studio virtutum, ac vitiorum fuga egregie docent. Debet autem magistratus præ omnibus aliis disciplinæ morum et affectuum moderationi operam dare. Nam in sublimi exempla eorum sita sunt, ab omnibus suspiciuntur, ad imitationem proponuntur. Hinc fit ut populus fere talis ultro fiat, qualis est magistratus. Cum igitur illi, qui rempub. administrant, suis virtutibus ac exemplis prodesse possint quam plurimis, secus autem plurimos offendere, multo magis quam privatis hominibus disciplina morum ipsis excolenda fuerit. Quamvis enim unusquisque nostrum non sibi tantum, sed patriæ et reipub. natus est, in primis tamen magistratus omnium communi saluti prospicere debet, ac divinam vivendi puritatem, inque cæteros homines benignitatem imitari, ne frustra Dei vocabulo in sacris literis appelletur. Huc accedit, quod singulos rationem, qua sibimet imperent, callere prius oporteat, quam aliis imperare velint: continetur autem hæc ratio in locis moralibus, qui ante cæteros apud Stobæum habentur.

Alii sunt *œconomici*, qui ad familiæ disciplinam faciunt, cujus proxima cura post seipsum unicuique habenda est. Hæc ut in omnibus, etiam privatis, diligens accurataque, ita præcipue in magistratu diligentissima requiritur. Nam in hoc ipsius boni ac

virtutis maxima, pulcherrima, et peculiaris omnino sita vis est, ut nunquam desinat, quam fieri potest plurimos, sibi quam simillimos reddere. Itaque vir bonus ab initio curabit, ut ipsemet virtutis studiosus, et sibi semper undique similis constansque sit, mox omnibus modis, ut familiam quoque talem reddat, enitetur, nec unquam a bona institutione ipsius feriabitur. Bonum enim cessare non potest, præsente materia nunquam otiatur, agit perpetuo. Bonus igitur vir ubi bonam familiam effecerit, subinde etiam extra eam per proxima quæque ad remotiora pergens (infinita enim boni ratio est) omnia sibi conatur assimilare, et vero virtutis studio imbuere. Quippe bonitas sive virtus, ignis quidam cœlestis est, quantumcunque potest sibi vendicans, et in se convertens. Ignem appello, quoniam non cessat, quamdiu materia suppetit, priusquam in se verterit totam. At quoniam terrenus noster ignis id quidem facit, sed interim corrumpit et absumit res in quas agit, virtutem vocare libet cœlicum ignem, qui non lædit, non consumit, sed benigno calore suo fovet ac reficit. Quandoquidem et virtus sic omnia sibi usurpat, et in suam naturam convertit, ut convertenda nihil interim patiantur, sed meliora seipsis, et absolutiora plane fiant. Quisquis igitur familiam suam non bene instituit, docet, emendat, idque perpetuo, summa fide ac diligentia, boni viri nomine non satis dignus fuerit. Melius autem nemo instituet, quam qui naturali aut potius divinæ bonitati suæ œconomicam disciplinam adjunxerit, quæ quidem ex hisce Stobæi locis non obscure percipitur. Jam quod dixi, nullum bene gubernaturum rempub. qui non antea seipsum regere didicerit, idem de administratione familiæ intelligendum est. Qui enim domui suæ non recte præfuerit, quomodo rempublicam reget? Quippe familia ceu parva quædam politia est: et quemadmodum patrem erga familiam affectum esse convenit, ita principem erga illos, qui fidei curæque ejus commissi sunt. Proinde Romani pleno humanitatis nomine senatores suos *Patres* vocitabant. Hactenus de disciplina morum et vitæ, tum in singulis hominibus, tum in familiis observanda, quæ instar fundamenti est ad sequentem administrationem reipub. ac sine qua sic non esse potest politia, ut totum absque partibus haud existit, satis dictum sit.

Cæterum *politici* loci permulti a Stobæo docte copioseque proponuntur, quibus præcepta et consilia uberrima eademque

saluberrima continentur, de republica, legibus et consuetudinibus, viris potentibus in civitate, magistratu, et qualem esse oporteat illum qui gerit magistratum, de monarchia, regno, tyrannide. Non autem domestica solum et pacis, sed etiam militaria bellique consilia ab eo collecta sunt.

Hactenus fere complexus sum hujus libri summariam divisionem. Verum quia triplex bonum est, ut inter plerosque sapientium convenit, animi inquam, corporis, et fortunæ; ex his primo, quod verum perpetuumque est, loci morales eique plurimi, utpote præstantissimo, destinati sunt: reliquis pauciores. Nempe loci aliquot de medicis, sanitate, morbo, et pulchritudine inserti sunt, qui ad bona vel mala corporis referuntur. De fortuna etiam et infortunio, divitiis, paupertate, ac ejusdem generis locos aliquot postremo locavit, donec tandem ad senectutem, mortem, luctum, sepulturam, et consolationem perveniens librum claudit. Quod si boni rationem aliter distribuere placet, videlicet ab ipsa rerum natura, in honestum, jucundum, et utile: sic etiam apparebit, omnem boni circumscriptionem et latitudinem in hisce Stobæi nostri, aut jam potius vestri, copiosissimis locis comprehensam esse. Siquidem honesta, eadem quæ animi bona sunt: dulcia vero et jucunda, quibus corporei sensus fruuntur ac demulcentur: utilia denique fortuna suppeditat.

Habetis, Clarissimi viri, quænam res ab hoc autore proponantur, quo ordine, quaque ordinis ratione; reliquum est, ut, quomodo ipsas tractaverit, paucis aperiam. Non igitur ipse autor eruditione sua fretus hoc volumen exaravit, nec uni et alteri philosopho innixus, nec uni tantum addictus sectæ: sed ex omnibus Græciæ totius sapientissimis ac primariæ notæ scriptoribus, non ex malis et promiscuis meliora, veluti quod dici solet de stercore gemmas, sed ex optimis optima quæque delegit, atque ex acervo gemmarum pretiosiores duntaxàt in suum thesaurum retulit. Quippe gravissimas et illustrissimas Græcorum sententias, interdum et historias elegantiores, et exempla memorabilia, quicquid ipse nimirum per omnem ætatem observare legendo potuit, ex amplissimis ac vetustissimis librorum thesauris depromptum, in centum et viginti sermones, tanquam in totidem pretiosissima monilia connexuit: ex multis fragrantissimis rosis ac floribus diversis totidem servias, aut coronas, ordine miro composuit: et instar apiculæ, ex vario ge-

nere florum, quicquid inerat succi suavioris exhauriens, in unum opus vere mellitum, et instar elegantissimi favi in multas veluti cellulas distinctum, plurima et floridissima autorum prata pervolitans undique congessit: officinam suam ceu apothecam diverso genere nobilium aromatum, instar divitis pharmacopolæ, singula suis capsulis discernens, implevit. Et uti bonus œconomus præstantiores arborum fructus, et qui ætatem ferre possunt, diligenter in suum penu recondit: ita Stobæus gnomas elegantiores, quæ dignæ videbantur ut diutissime hominibus superstites essent, in hunc librum conscripsit: quicquid ubique pulchrum erat, utile, admirandum, collegit, veluti locupletissimus aliquis mercator ex variis ac remotissimis gentibus omnia undique egregia, rara, pretiosa, conducibilia, coemit et in domum convehit. Sicut Indici Grypes aurum effodiunt discissis rostro petris, quæ guttis aureis conspersæ sunt minutissimis, idque magno studio reservant: ita noster Gnomographus sententias plane aureas, et, ut ita loquar, gemmosas, plurimis et prolixis autorum operibus dispersas, laboris assiduitate in magnum cumulum contulit.

Sed hujusmodi apopththegmata, præcepta, consilia, chriæ, gnomæ, vel quomodocunque appellentur, tantum auro gemmisque præstant, quantum externa corporeis cedunt, et hæc rursus animæ bonis inferiora sunt. Corpora gemmata et ornata auro, nihilo seipsis meliora fiunt, tum inter homines, tum inter cætera sive animata sive inanimata corpora (nam et equus utcunque phaleris et frenis insigniatur, non fit seipso melior) fortassis autem deteriora sic evadunt, præsertim hominum, tumore superbiæ inflata. Anima vero sapientiæ præceptis imbuta, supra omne brutum et mortale genus ad cœlos attollitur. Item cum una gemma non possit nisi corpus unum ornare, et, quamdiu propria alicujus est, nihil juvat alios: sapientis viri doctrina volentes omnes instituere, meliores reddere, ac omnibus ex æquo prodesse potest: imo quo pluribus communicatur, et longiori tempore usurpatur, hoc efficacior semper fieri videtur. Non enim ullo tempore vel utentium numero circumscribitur. Corporis autem et fortunæ bonis plane contrarium accidit: imminuuntur enim, senescunt et absumuntur, cum vel diu vel a multis usurpantur. Postremo hoc interest (dicam enim etsi forte non magnum videri possit) inter fortunæ κειμήλια, et bona præcepta literis ac

libris mandata, quod illa non idonea sunt, ut ex uno plura fiant, hæc vero per infinita exemplaria transscribi licet, artis typographicæ beneficio. Aristoteles multa scripserat ad solum Alexandrum Magnum, quibus omnes hodie passim modica pecunia redemptis ob fœcundam exemplarium copiam frui libere possunt. Et ego vestræ solum Excellentiæ conversum a me in Latinam linguam Stobæi volumen nuncupavi, sed eo per vos fruentur, quotcunque volent, studiosi. Non tamen eo vilius reputandum est donum, quia pluribus communicetur. Liberalitas enim est quam plurimos bonorum suorum participes fieri velle, qualem vobis omnino voluntatem inesse re ipsa indies approbatis. Sed hæc forte prolixius apud scientes disserui: verum quæ pulchra et honesta sunt ter et quater, ut est in proverbio, repetiisse juvat. Porro autores, quorum verba passim Stobæus recitat, numero sunt supra ducentos et 40. ut apparet in catalogo toti operi præfixo; at si quis numeret accuratius, circiter trecentos inveniet, ex quibus equidem quadraginta solum reperio, qui hodie partim excusi typis, partim in bibliothecis quibusdam extant: reliqui omnes nobis interierunt. Sed eodem numero inter ducentos et 40. aut potius trecentos scriptores, illos etiam comprehendo, qui tamen pauciores sunt, quorum opera nulla extant, sententiæ autem ipsorum ab aliis in commentarios redactæ sunt, ut Socratis a Platone et Xenophonte. Tot nobis autores ab interitu vindicavit diligentissimus Stobæus, qui forte jam magna ex parte ne vixisse quidem cognoscerentur, nedum omnia ipsorum scripta dictave temporis injuria periissent, situ, blattis, incendiis, et similibus incommodis absumpti. Optime factum igitur, quod servati nobis sint, et non sine divina opinor providentia ab illa panolethria bonis libris jam jam imminente, et casum nutando minante, tanquam ex conflagratione quadam divitis domus, non toti quidem, sed quod optimum in eis erat, extracti. Statim enim post ipsius ætatem exitium plerisque bonis libris contigisse reor, barbaris omnia populantibus, et una cum Romanorum imperio literis quoque declinantibus. Gratulemur igitur nobis quod isti saltem autores opera Stobæi supersint, et veluti in concilio quodam principum et sapientium virorum, qui ex diversis partibus orbis convenerunt, prudentissima consilia conferant, suam sin-

entiam tanquam in Areopago gravissime pronuncian-

tes. Adjungite vobis igitur, Clarissimi viri, consultores hujusmodi, principes, legislatores, imperatores, philosophos, poetas, oratores, qui per mille annos, et supra, omnium consensu pro sapientissimis inter omnes ethnicos approbati sunt, videlicet a tempore septem Græciæ sapientium, quod annos circiter septingentos et quadraginta Christi nativitatem præcessit, usque ad Probi Imperatoris sæculum, qui ducentis et septuaginta novem annis a Christi nativitate exactis imperavit. Ad ejus enim ætatem usque vixit Porphyrius, cujus verba aliquoties a Stobæo citantur: quanquam et Jamblichi, qui Porphyrio posterior fuit. Reliqui vero omnes, ni fallor, ætate superiores fuerunt. Illorum autem, qui ante sæculum septem sapientium claruerunt, ut Homeri, Hesiodi, Orphei, quoniam perpauci sunt, annos, quibus superant aliorum ætatem, non addidi mille annorum numero, alioqui multo longioris temporis et plurium sæculorum sapientes in hoc libro convenisse prædicarem. De ipso Jo. Stobæo, quo tempore vixerit, certi nihil invenio, nisi quod ex jam dictis patet eum post Imperatoris Probi tempus floruisse, et Christianum fuisse ex ipso nomine colligo, nec enim ethnicorum aliquem Joannis nomine reperias, quanquam aliqui Nicolaum pro Joanne legant. Cum igitur ex optimis duntaxat summorum et clarissimorum hominum scriptis ac sententiis hic liber conflatus sit, non solum ad institutionem vitæ, ac morum disciplinam conferet, sed etiam ad disserendi copiam utilis erit, sive testimonia et autoritates nominatim allegare libuerit, sive argumenta solum scribendæ dicendæve orationi inde conquirere.

Non est autem contemnenda sapientia humana; quamvis enim sine dono fidei inutilis sit ad beatitudinem æternæ vitæ, neque possit suo ingenio suisve operibus cœlo potiri (ut aliqui philosophorum existimarunt) utilissima tamen, imo necessaria est, ad res humanas et negotia civilia contemplandum et administrandum. Quod si etiam cum pietate divina jungatur, jam optimum et pulcherrimum temperamentum fiet. Non enim inter se pugnant, ut imperiti quidam statuunt, civilis, œconomica, moralis, naturalis, logica, et divina sapientia. Sed humana quoque Dei donum est, ut in Salomone patet: cui Deus sapientiam largitus est, qua populum suum regeret, id est politicam: de animalium et stirpium naturis dissereret, id est naturalem: liti-

gantium controversias solveret, quod sine dialectica, id est veri falsique censura, fieri non potest. Et licet omnium animis hujusmodi sapientiæ semina innata sint, in hoc tamen virtus et laus eorum est posita, si excolantur ita, ut præ cæteris plurimum excellant, quod in Salomone contigit, non cultu quidem aut exercitio, ut in aliis sapientibus, sed munere divino. Quamobrem et regina Sabe ad ipsum venit, sapientiæ famam sequuta, humanæ potius quam divinæ, utpote mulier ethnica. Quamvis enim omnis sapientia mortalibus a Deo communicetur, alteram tamen humanam vocamus, alteram divinam, nimirum a rebus circa quas versantur, hæc nempe divinas et æternas, illa vero humanas et caducas. Aut certe propter dignitatem et præstantiam, quod commune nomen erat, si spectes autorem qui confert utramque, alteri ceu proprium attribuitur. Demonstratum est igitur non adversari terrestrem philosophiam cœlesti: quod si hic locus et tempus admitterent, conarer etiam ostendere, quod non parum ei conferret. Quid obsecro tam Christiane (de vita et actionibus, non de fide loquor) dici potest, quam illa in Platonicis dialogis sæpe repetita, *Melius esse injuriam pati quam inferre*, *Miserum esse qui peccatorum pœnas non luit*, *Non faciendum alteri*, *quod tibi fieri nolis?* Et alia hujusmodi, quæ ceu fundamentum sunt morum et operum Christianorum, vitæque optime in repub. instituendæ. Socrates, Pythagoras, et alii similes eis pure philosophi, si viverent hodie, etiam inter illos qui se Christianos profitentur, quis eos ex vivendi disciplina non sanctos diceret? Siquidem omne studium ad animi tranquillitatem, corporis frugalitatem, innocentiam vitæ, denique meditationem ac laudes unius Dei converterunt. Certe philosophia omnis aut in contemplatione naturæ sita est, motus corporum cœlestium simul et terrenorum considerat, et alia quædam, quæ vel ipsis corporibus vel ipsorum motibus annexa sunt, et tandem in primo motore, id est unico omnipotente Deo, quiescit: quomodo igitur sacris literis contraria fuerit, quæ creatorem æternum ex rebus creatis, invisibilem Dei majestatem ex rebus sub visum cadentibus æstimare jubet, paulatim a sensibus opacis ad meram et puram mentem, ab elementis corporum ad simplicem divinam essentiam, a terra ad cœlum et divinitatis usque thronum, propeque Deum cernendum ceu per gra-

dus quosdam animis subvectis? Altera philosophiæ pars dicendi methodum, verum a falso discernendi, et necessarium a probabili rationem docet: cujus scientiæ in omni quæstione proposita communis est non solum commoditas, sed etiam necessitas. Proponuntur autem sæpe quæstiones in sacra scriptura, et in dubium vocantur. Quomodo igitur huic scientiæ cum sacris non conveniet, cum Apostolus dicendi facultatem, et adversarios redarguendi tenere nos jubeat? Tertia pars morum, familiæ ac reipub. disciplinam præscribit, vitia cavenda, virtutes modis omnibus amplexandas commonefacit. Sed non immorabor hic prolixius: non enim dubito, quin vos ipsi pro vestra prudentia sat intelligatis, veterum licet ethnicorum, in rebus humanis sapientiam Christianæ professioni non tantum non adversari, sed eam potius juvare: non quidem ad beatitudinis finem, sed ad illustrationem, clarioremque ejus traditionem, et contra impios cavillatores defensionem in disputando sitam. Omnes igitur partes, quibus philosophia tota perficitur, saluberrimæ optimæque sunt, præsertim si doctrina Christiana colophonem eis imponat, atque omnia ista, contemplationem inquam naturæ, eloquentiam et judicium orationis, denique totam de moribus institutionem, in honorem et gloriam Dei, ac utilitatem proximi convertat: quod licet etiam ethnicorum non pauci doceant, obscure tamen id faciunt, nec adeo clare, constanter, ac frequenter, ut sacræ literæ. Porro, si qui ex veteribus philosophia sunt abusi (permultæ enim sectæ fuerunt) ideone statim philosophiam ipsam abjiciemus et in totum damnabimus? Haudquaquam. Eadem enim ratione cum alia plurima maximaque bona, tum sacrosanctas quoque literas damnaremus, quibus magna pars hominum (si modo illi homines dicendi sunt) abutitur, et male interpretatur. Reliqua igitur omnia quæ terrenam et humanam felicitatem spectant, cujus non modica cura magistratui esse debet, ex sincera ethnicorum philosophia abunde sumuntur: beatitudinis autem æternæ causa, id est fides, quæ constanter credit quod Jesus Christus filius Dei vivi homo factus sine omni labe ad peccata fidelium tollenda mortem obierit, resurrexerit, inque cœlos ad patris dexteram redierit, quo nos quoque primum anima, ac demum etiam corpore migraturi simus, immortalesque apud eum victuri: hæc inquam fides ex sacris literis tantum, et di-

vinitus per gratiam et misericordiam Dei acquiri potest. Atqui hæc spiritualis sapientia sola nobis satisfaceret, nisi carnem haberemus, multis rebus externis indigeremus, inter creaturas versaremur, denique cum hominibus partim imperitis et stolidis, partim natura malis, commercium haberemus. Sed ne longius extra oleas, ut aiunt, abeam, epistolæ finem hic imponam.

Requirebat quidem hic locus tum vestras, tum civitatis Bernensis celeberrimas laudes prædicari, religionis sinceritatem renatam, prudentissimam reipublicæ moderationem, in bonas literas earumque studiosos benevolentiam, amorem, ac liberalitatem, gentis fortitudinem, situm, amplitudinem, et fertilitatem regionis, denique multa hujusmodi dignis laudibus celebrari: sed cum dotes virtutesque omnes et vestras et reipub. totius oratione mea sic, ut merentur, complecti non possim, et si vel partem aliquam enumerare velim, liber mihi conscribendus foret, non epistola, pauca vero dicere de magnificentia vestra indignum esset, statui in præsentia tacere, et istam provinciam aliis doctioribus et eloquentioribus ingeniis relinquere. Quod superest, humanitatem vestram oro et obsecro, amplissimi viri ac domini benignissimi, ut hoc qualecunque monumentum, pignus, ac testimonium gratitudinis et reverentiæ erga vos meæ æqui bonique consulatis, eodemque animo, quo vobis a me offertur, grato videlicet et candido, accipiatis, denique inter clientes vestros perpetuo me Excellentiæ vestræ commendatum habeatis. Valete, et vivite felices per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vobis Christianæ religionis affectum semper augeat, et rempub. vestram cum omnibus bonis et doctis viris incolumem diutissime conservet.

Tiguri xiii. die Junii MDXLIII.

AD CANDIDUM LECTOREM

CONRADI GESNERI

IN

JOANNIS STOBÆI COLLECTANEA, EORUMQUE CONVERSIONEM

PRÆFATIO.

HAUD scio quonam fato in hanc Stobæi Communium Locorum conversionem, optime Lector, me dederim, unico fretus exemplari, librorum omnium, qui hactenus unquam excusi sunt usquam, longe corruptissimo, sive id accidit culpa typographorum, sive archetypi vitio, sive, quod magis crediderim, utrorumque. Sunt enim aliquot librarii, qui sumptus facere nolunt ut exemplaria edant correcta, neque prævidenda doctis hominibus exhibent, neque curant ut eruditos habeant castigatores, quos præficiant suis prelis: nec exemplaria diversa (licet ea modicæ pecuniæ jactura acquiri possent) conferri satagunt, sed undecunque bonum esse lucri odorem persuasi, hoc unum student, ut quovis modo ditescant, ac sibi tantum vivant, non studiosis et candidatis literarum: quibus ego propter inscitiam et avaritiam adeo nocentem (si res staret penes me) ne quem unquam librum posthac ederent, gravis pœnæ edicto imperarem. Sed multi ipsorum socordiæ avaritiæque suæ non multo post pœnam luunt, dum libri non ita distrahuntur, ut ipsi sperabant; quod magis magisque futurum spero, videlicet ne tam facile ac temere libri coemantur a studiosis. Quantumvis enim boni autores, si non qua decet fide ac diligentia fuerint excusi, gratiam et utilitatem genuinam amittunt. Laus igitur maxima debetur illis, qui ex malis et corruptis exemplaribus bona et integra studiosis communicare student: at qui non hoc solum negligunt, sed bona quoque suis prelis deteriora faciunt, reprehendendi sunt ab omnibus summopere. Hæc per digressionem admonere visum est, ut literarum studiosi sumptibus in exemplaria corrupta impendendis parcerent, et observarent quinam typographi accurate bonaque fide libros excu-

dere solerent: qualis inter paucos alios noster Christophorus Froschoverus est, fidelis ac diligens homo in arte typographica, quod vel tacente me ipsi libri, quotquot ab ejus officina prodeunt, loquuntur. Eorum nuper catalogum publicari curavimus; et paramus librorum omnium, aut saltem meliorum, quos extare novimus, aut ipsi vidimus, enumerationem duplicem, tum juxta literarum seriem collocatis autorum nominibus, tum secundum artes, scientias, et varios communes locos singulis eorum operibus dispositis: adjecimus autem in priori catalogo plerumque ubi locorum liber, qua forma, quoto anno a Christi nativitate, et a quibus typographis excusus sit, quod postremum eo spectat, ut liceat studiosis ea sibi exemplaria coëmere, vel aliunde, præsertim ex nundinis, afferri jubere, quæ apud præstantiores typographos nata fuerint. Alia quoque multa de catalogi nostri, intra paucos menses, Deo favente, prelo subjiciendi, variis et magnis usibus afferrem, nisi alio me vocaret præsens institutum. Redeo igitur ad hanc Communium Locorum Jo. Stobæi editionem, quæ si cum priori ante aliquot annos Venetiis evulgata conferatur, statim et facile apparebit quantum æra distent lupinis; ita ut si quis superiorem viderit, omnino sit exclamaturus, O quantum est mutatus ab illo. Quantumcunque enim vel ingenii viribus, vel assiduo labore præstare potui, id omne in hujus scriptoris emendationem collatum est, ut hoc velut Augiæ stabulum expurgaretur. Verum ut candidus Lector facilius mihi fidem adhibeat, paucis aliquot laboris mei partes enumerabo.

Primum igitur, autorum omnium, quotquot hactenus typis excusos habere potui, locos a Stobæo citatos diligentissime perquisivi, contuli, et ad ipsa archetypa correxi, quod cum in aliis a me factum est, quorum hic recensere nomina nihil attinet, tum in Platonis ac Xenophontis sermonibus præcipue: istorum enim permulta sæpe, et forte nimis prolixa, ut alicui videri possent, testimonia proferuntur. Plerumque autem quo loco librove apud singulos autores, verba quæ potui reperire, scripta essent, si in Græco exemplari id non indicatum fuerat, marginibus Latinæ conversionis ascripsi, ut inquisitum a me locum esse lectori probarem. Deinde omnes illas sententias Græce nuper editas Basileæ, una cum hymnis quibusdam Callimachi, cum exemplari nostro contuli. Nihil enim est in sententiis illis, quod non ex Stobæo

desumptum sit ab aliquo studioso, prolixioribus fere locis, ac si qui alii non admodum ei placerent, omissis. Ad hæc a doctissimo viro D. Joanne Oporino, typographo Basiliense diligentissimo, deque bonis literis optime merito, fragmentum Stobæi nactus, quod aliquot sermones priores continebat, id quoque adhibui. Et multas alias, ut meliorem librum efficerem, occasiones excogitavi, quas nunc prætereo, ne quid nimis de meipso dicere videar. In libro Venetiis impresso ne semel quidem ulla lectionis varietas notata reperitur, ob hominum incuriam: hic vero passim varias lectiones invenias, in iis locis quos contulimus, diligentiæ nostræ argumentum. Quod si quæ nobis corrupta videbantur, nihil mutavimus, nisi mendum esset tam evidens, ut vel a puero vix paucos dies in Græcorum regulis grammaticis versato deprehendi posset, præsertim in orthographia, et sensuum distinctione: si quæ vero dubitationem ullam, utro modo rectius legerentur, paritura videbantur, in iis omnino religiose exemplaris veterem lectionem retinuimus, et conjecturam nostram in margine Græco, Latinove, aut utrobique ascripsimus. Porro quod translationem attinet, ac ipsum dicendi genus, Lectorem admonitum volo me partim ad verbum, quantum ejus sine Latini sermonis damno fieri potuit, partim liberius vertisse, ita ut mediocritatem quandam servasse mihi videar. Nec admodum peto veniam mihi dari, quod non elegantius et majori eloquentia conversionem istam expoliverim. Nam etsi facundiam et decus in verbis admirer ac laudem, magis tamen illos laudaverim, qui in excolenda oratione mediocriter, in ipsis autem rebus pervestigandis diligentissime diutissimeque morantur. Sic vertagum, qui leporem aliamve bestiam assecutus ceperit, longe prætulerim alteri quamvis inauratum melium gestanti. Interim vero prorsus a barbarophonis hominibus abhorreo. Suam utrique studio curam debemus, sed breviorem orationi, longiorem rebus. Quantum enim umbra corpore vilior, quantum signa et picturæ rebus ipsis concedunt; tantum orationis cultui cognitio rerum, scientiarum, et veræ philosophiæ studium præstat. Miseri Penelopes proci, cum dominæ amplexibus potiri non possent, ancillis commiscebantur: ita plerique, domina philosophia neglecta, circa ejus organa et rudimenta immorantur. Sed hæc παρέργως. Cæterum volui ut interpretatio Latina Græco responderet e

regione, tum ut statim conferre liceret volentibus, tum ut vel hoc modo meum candorem studiosis declararem. Licuisset mihi Latina seorsim edere, dissimulandi gratia hoc modo, si quid a Græco sermone discederem: uti fertur de pictore quodam, qui cum in tabula pictum gallinaceum proposuisset, puero mandavit ut vivos gallinaceos procul arceret, ne forsan ex vivi et picti galli comparatione, ipsius imperitia deprehenderetur. Quod mihi faciendum minime putavi.* Itaque Græca Latinis conjungere volui, locos, sive exemplaris vitio, seu mihi tantum obscuros, ingenue notavi: in cæteris sat fore judicans, si sensus intelligeretur, quo simpliciter et clare cognito, liberum deinde esset unicuique aut Græcis verbis uti, aut nostra pro suo arbitrio immutare, et accuratius eloqui. Certe cum omnis lingua nativam sibi gratiam, et peculiarem vim habeat, quæ in alienam non facile transfunditur: tum in primis Græca nescio quid scitum et reconditum includit, quod in Latinum sermonem commode duci et ad vivum exprimi non potest. Quamobrem nihil affectavi, sed aperto simplicique stilo, non impuro tamen, ut spero, Græca vestigia sequutus sum. Indoctiores igitur e regione collocata minori negotio conferent: doctiores vero mea interpretatione, si libuerit, omissa, Græca solum legent, aut in obscurioribus saltem locis eam inspicient. Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε. Nonnunquam enim quæ in Græco mutila videbantur, in Latino supplevi, quod sæpius in margine monui, aut textum aliquibus signis notavi, quandoque parenthesi: non ubique tamen id factum est, aut propter angustiam chartæ, aut aliam ob causam. Certe mediocres hujusmodi translationes, quæ neque fastidium sui dictione parum Latina movent, neque longius a verbis autoris discedunt, in difficilioribus præcipue locis observandas judico: sic enim præter alias ista quoque commoditas accedet, ut lector inde intelligat, quam lectionem interpres sequutus sit; quod utilissimum fuerit, cum in plerisque autoribus hodie permultæ lectionum varietates habeantur. Interpretem autem verisimile videbitur meliorem lectionem delegisse. Hunc fructum nuper in Theodori Gazæ super aliquot Aristotelis libros interpretationibus animadverti; in quibus si conferas cum Græco, plurimæ diversitates invenientur, ita ut ex Latino Græcum emendare possis. Atqui etiam ipse Theodorus, licet natione Græcus, et

cum suæ linguæ, tum rerum cognitionis peritissimus, non paucis in locis lapsus est, quod propediem in illis saltem libris, qui de Historia animalium disserunt, ostendere conabor. Sic enim natura comparatum est, ut multo facilius sit aliorum opera castigare quam sua; et foris acutius cernere, domi cæcutire. Hæc ideo a me dicuntur, ut mihi quoque æquiores sint viri docti, si morbo communi omnibus, et naturali quodammodo, interdum laborare videar: *quandoque bonus*, ut ille ait, *dormitat Homerus.*

Hoc porro non est silentio prætereundum, plerosque locos, præsertim prolixiores, a Stobæo citatos, ex illis autorum operibus, quæ jam antea docti viri Latinitate donaverunt, ad verbum fere mihi transcriptos esse, idque præcipue in Platonis et Xenophontis libris, non tam ut compendium laboris facerem, quam quia sperabam illos fideliter convertisse, ac melius forte quam ego facturus essem, ut qui integro autore evoluto, tum phrasin, tum sequentia simul et antecedentia perpendissent: a nonnullis vero commentarios quoque adhibitos non dubitabam, quibus ego potiri non facile potuissem, ut a Marsilio Ficino in Platonis dialogos. Non tamen omnino temere transcripsi, sed omnia prius cum Græco sermone contuli, et si quid mutandum videbatur, id candide feci.

Res est profecto difficillima, quod ab alio quam id experto credi non potest, tum ex aliis Græcis Latina facere, tum illis maxime, quorum nulli a veteribus commentarii sunt relicti. Nam ope scholiorum et commentariorum adjuti, quantumvis intricatos libros fidenter aggredimur: contra, sine illis multi etiam faciles et clari existimati, non mediocre negotium facessunt. Accedunt aliæ difficultates in hoc opere transferendo: primum, totidem prope characteres dicendi, quot autores allegantur: deinde, varietas dialectorum, Communis, Atticæ, Ionicæ, Doricæ. Omnes enim hic reperias frequenter. Adde quod oratio alias prosa sit, alias numerosa. Nam apud Latinos poetica dictio non admodum differt a stylo reliquis autoribus familiari: apud Græcos vero qui ex historico vel oratore ad poetam, ut ex Thucydide ad Homerum, ex Demosthene ad Pindarum transiverit, in aliam terræ partem, et linguam omnino diversam migrasse videbitur. Præterea versus plurimi in superiori editione corrupti, et vel omnino non aut perperam distincti legebantur, quod peculiarem in castigando laborem mihi peperit.

Cæterum carmina Græca Latinis non reddidi, tum ut aliquid laboris lucrifacerem, tum quia inutile futurum videbatur, eisdem causis commotus, quibus ad totum librum plano simplicique sermone convertendum inductus sum. Nam et reliquæ sententiæ Græcæ aliquid gravius elegantiusque sua lingua sonant, et versus multo magis quam prosa gratiam in alieno sermone amitterent. Quamvis enim concedam, posse quædam Latine dici eadem, aut majori etiam elegantia, quam Græce dicantur, in argutioribus tamen sententiis aut carminibus idem fieri posse negaverim: aut si alicubi fiat, non tamen ubique, sed multo infrequentius. Atqui cum omnia in loco suo nativo, ubi concepta, nata, educata, excultaque sunt, multo libentius ac felicius agant, ut late patet in animantium et stirpium generibus: nemini mirum videri debet, si etiam oratio, et quæ in oratione continentur, in lingua primitiva et genuina non parum plus energiæ habeant, quam aliena. Hoc igitur concesso, non est quod veniam impetrare coner, quod vel in soluto sermone minus affectaverim nitidam Latinorum eloquentiam, aut versus iisdem numeris non reddiderim. Nam si illis Latine non utendum est, sed Græce, sat fuerit sensum simpliciter intelligi. Adde quod simplicior sermo clarior ac dilucidior est, quod in paraphraste requiritur. Præterea si Græcum carmen in Latinos numeros vertas, fieri vix potest ut sensus idem undequaque redeat, sed aliqua dissimulari necessum est, etiam ubi nihil obscurum in sensu, propter carminis legem: et potuissem hoc modo difficiliores locos dissimulanter effugere, quasi idem faciens, quod in clarioribus locis sæpius fecissem, nisi lectoris utilitatem spectare, et omnia candide agere maluissem. Huc accedit, quod Græci versus ex abrupto citati, pauci ex multis, sine principio interdum et fine sententiæ, si Latini fiant servata lege carminis, ut plurimum inepti, inconcinni, et nimis affectati redduntur, nisi quis multum libertatis usurpet, ac longius ab autore discedat, ut est videre in Erasmi Roterodami, hominis alioquin ad miraculum usque docti, et aliorum lucubrationibus. Cæterum non me latet, si carmen solvatur in prosam, permultum amitti gratiæ, atque omnem interdum exui leporem: quod æstimare debent legentes, et mihi æquiores esse, si Latina seorsim lecta interdum nihil egregium præ se ferant, nec ex Latinis Græca metiri, cum hæc et propter

linguam suam, et propter carminis harmoniam multo meliora jucundioraque lectu sint: illa vero tum ob alienum sermonem, eumque simplicem, tum propter numerorum et rythmi dissolutionem prorsus humili supinoque sensu legantur, cum nihil supersit quod aures suavi concentu feriat, delectet, admirationem pariat, quod ita contingere Aristoteles in Rhetoricis alicubi testatur. Præterea, quamvis convertere liberius aliquando libuisset, non licuit tamen, cum Latinis non amplius spatii quam Græcis concederetur, atque tantundem omnino in Latina pagina comprehendi oporteret, quantum Græca continebat. Ita mihi transferenti, certum papyri spatium, veluti temporis ad clepsydram oranti, præfinitum fuit: quæ quidem res et mihi non parum molestiæ exhibuit, et librarii diversis aliquando in eadem Latina pagina characteribus uti coacti sunt, partim majoribus, partim minoribus, ut chartam ex æquo implerent. Et hæc hactenus de translatione, nimium fortassis prolixe, dicta.

De eodem et hujus operis argumento supra dictum est in epistola nuncupatoria.

Porro de operis autore Jo. Stobæo, quam celebris ac insignis gnomographus, imo omnium hujus generis scriptorum princeps optimo jure existimandus sit, nemini obscurum esse arbitror, qui doctorum ætatis nostræ hominum monumenta legerit: plerique enim sententias ab eo collectas citare solent, alii nominatim, alii dissimulantes unde acceperint, cum thesauri loco reconditam apud se hanc gnomologiam haberent. Phavorinus Camers, cujus Græcum Lexicon habemus, aliquot sententias breviores sparsim ex hisce collectaneis decerptas, et in peculiarem libellum, qui quatuor aut quinque foliis papyri absolvitur, redactas, Latine reddidit, non satis tamen feliciter. Contulimus enim, et aliquot inde etiam nostri codicis locos emendavimus. Multa Volaterranus hinc in suos libros transtulit. Ex veteribus autem neminem invenio qui Stobæi mentionem fecerit, nisi quod in Suidæ Lexico hæc verba leguntur: Ἰωάννης ὁ ἐπονομαζόμενος Στοβαῖος, ἀνθολόγιον περιέχον τὰς παρὰ πᾶσι πολλῶν δόξας ἐν βιβλίοις δ'. ἐνάρετα πάνυ καὶ γέμοντα πάσης παιδεύσεως. Γράφει δὲ ταῦτα πρὸς Ἐπίμιον υἱὸν αὐτοῦ. Id est: *Joannes cognomine Stobæus Florilegium concinnavit, quo multorum opiniones, quæ apud omnes scriptores literis mandatæ sunt, continentur libris quatuor. Scribit autem eos ad filium suum Epimium, perquam egregios et omni eruditione plenos.* Hæc ille. Non est autem quod quisquam moveatur, quod hoc exemplar Epimio non

inscriptum sit: facile enim vitiantur et abolentur principia librorum veterum, ut quæ pluribus injuriis ob situm loci obnoxia sint. In quatuor autem libros ab ipso autore divisum opus liquido apparet, sic ut primus liber relatus sit ad morum disciplinam, secundus ad institutionem reipub., tertius ad rei familiaris administrationem, quartus ad fortunam præcipue et alios quosdam sermones mixtos. Quin et fragmentum illud, de quo supra dixi, ab initio βιβλίον ά. adscriptum habebat. Porro de ipsius operis utilitate non est quod multis agam, cum omnes, qui vel a limine bonas literas salutarunt, quam late pateat communium locorum usus, intelligant. Nam ex ipso nomine protinus res manifesta fit: hinc enim communes dicuntur, quoniam ad multas et varias causas idonei sunt. Quis obsecro studiosorum est, qui non ipse sibi aut colligat, aut colligere cupiat, quæcunque virtutum, vitiorum, et reliqua hujusmodi communia exempla, dicta, consilia, quotidiana lectione apud autores observaverit? Nam propter hoc etiam legimus libros ac evolvimus, ut istum fructum ceu nucleum excerpamus. Merito igitur comparandus, legendus, et in summo pretio habendus fuerit Stobæus, qui maximam ejus rei partem nobis jam antea confecerit. Quod si quis nostrum talem haberet thesaurum suis vigiliis, et assidua lectione congestum, quanti putas illum faceret, aut pro quanta pecunia eo carere nollet? Stobæum igitur magni facere debemus, præsertim cum tam bonus liber tam parva pecunia comparari possit: quamvis plerique tam sunt amentes, ut eo minoris res alioquin optimas æstiment, quanto viliore pretio venduntur. Et cæca quædam philautia facit, ut plus faveamus nostris quam alienis operibus. Ergo si hoc genus collectaneorum approbandum est, Stobæum amplectamur, qui solus in hoc genere, quod equidem sciam, nobis extat, in quo et omnium aliorum copiosissime, et ordine optimo versatus est. Circumfertur quidem 'Ανθολόγιον epigrammatum Græcorum a Maximo Planude congestum, in quo aliquot loci communes tractari videntur, sed omnino paucæ sunt communes sententiæ, cum omnes fere de certis personis et circumstantiis scriptæ videantur. Habentur et senarii monostichi, qui singulis versibus sensum absolvunt, ex Menandri fabulis præcipue collecti, elegantes quidem illi et satis bene dispositi, sed admodum pauci. Ad hæc illustrium virorum Sententiæ

philosophicæ Joannis Frobenii typis quondam excusæ circumferuntur, sed illæ etiam non multæ, et non dispositæ pro ratione sensus, sed singulæ autoribus suis juxta alphabeti ordinem adscriptæ. Tale quid nuper etiam Apostolius Byzantius promisit, *Ioniam* appellans id opus a se congerendum, quod an extet haud scio. Audio et alios autores Græcos in Bibliothecis quibusdam, præsertim apud Italos, reperiri, quorum lucubrationes aut sententias ex professo continent, aut alioqui huic argumento finitimæ sunt, quarum nomina, ne quid celem, candido lectori hic adscribam.

Magni Logothetæ Theodori Metochitæ γνωμικαὶ σημειώσεις, id est, *sententiosæ observationes*.

Sententiæ notabiles in vitia et virtutes ex autoribus sacris et gentilibus, autoris innominati.

Sententiæ ex variis poetis.

Sententiæ Democratis.

Menandri sententiæ. Fortassis eædem sint monostichis supra memoratis.

Amphilochii episcopi Iconii de vitiis et virtutibus sermones.

Gemisti de virtutibus.

Collectio proverbiorum autoris incerti.

Commentaria in epigrammata Græca.

Hieroclis philosophi interpretatio in aurea carmina Pythagoræ.

Maximi Planudis in Theophrasti characteres expositio.

Cæterum hoc etiam admonitum volo Lectorem, videri mihi Stobæum opus suum non undequaque absolvisse. Interdum enim sententiæ non suo loco citantur: ut in sermone de Prudentia multa scribuntur, quæ magis ad Temperantiam, aut ipsam in genere Virtutem, pertinent. Sed hoc a principio maxime erratum est: in cæteris fere satis conveniunt singulæ gnomæ ad argumentum, quod sermonis inscriptio pollicetur. Alioqui, si plures adeo confusi fuissent, ordinem immutassem: quod facere nolui, cum rarius hac parte delictum esse observarem. Multa sunt, quæ diversis locis accommodari possint, semel duntaxat a Stobæo commemorata: verum Index, qui satis copiosus adjectus est, hæc omnia supplebit. Jam inceperam ex Græcis scriptoribus corollarium in singulos Stobæi locos concinnare, et insuper addere novos: sed quia me-

tuebam ne liber nimis crassus evaderet, aliis quoque occupationibus necessario vacans, laborem istum in præsentia quamvis aliquousque productum distuli, seorsim editurus alio tempore, si vixero, favente Christo, modo studiosi præsentem operam sibi non ingratam fuisse significent. Nam ex Latinis autoribus loci separatim, meo quidem consilio, in commentarium redigi debent, ne unum volumen nimis prolixum et incommodum ex utriusque linguæ scriptis congeratur. Vale, optime Lector, et labores nostros boni consule.

DE ALTERA ET TERTIA EDITIONE.

ANTE annos aliquot Venetias animi gratia profectus, in amicitiam illic perveni Arnoldi Arlenii Peraxyli, viri doctissimi: qui de bonis literis in utraque lingua et hactenus, si quisquam alius, meritus est optime, et etiamnum meretur, dum præclaros et reconditos aliquot libros Florentiæ sub illustrissimo Duce Cosmo Medice in publicum subinde typis excusos profert, una cum optimo viro Laurentio Torrentino. Is præter alia non exigua in me beneficia, hoc etiam effecit, ut ex Bibliotheca generosi viri Diegi Hurtadi a Mendozza, Cæsarei tum temporis apud Venetos oratoris, vetustissimum et manuscriptum Stobæi volumen acciperem. Hoc ego mox, in patriam reversus, cum prima editione nostra diligentissime contuli: et quanquam permulta haberentur in nostro Stobæo Venetiis prius excuso, deinde apud nos cum translatione mea, quæ in manuscripto non legebantur; rursus tamen in illo quoque plurima reperi (cum alia, tum veterum scripta, quorum libri non amplius extant) quæ nusquam in nostro erant. Ea transcripsi omnia, ita ut non modo Sententiis aliquot passim, sed Sermonibus etiam integris hæc Editio nunc prodeat auctior: et libris autorum nominatis, unde Sententiæ singulæ depromptæ sunt, sine comparatione instructior. Multa insuper ejusdem codicis beneficio vel mutila explevi, vel emendavi corrupta. Loci de Virtute et Vitio, et de Intemperantia, hic omnino novi sunt. Aristotelis libellum de Virtutibus et Vitiis jam, non ut prius, uno in loco posuimus integrum, sed pro argumento in diversos locos divisi-

mus: qui integrum volet, cum reliquis Aristotelis operibus inveniet. Præterea adjunxi etiam passim Corollaria quædam ex Græcis libris collecta, tum carmine, tum prosa: non multa tamen, non prolixa, nec absque delectu. Theophrasti de Notis libellum, in brevia aliquot et elegantissima capita divisum, sed parum feliciter ab anonymo quodam olim interprete in Latinam linguam derivatum, qua potui diligentia, emendavi, et pro argumenti ratione passim inserui. Authorum nomina in Græcis omissa sunt, et translationi tantum adjecta, ut Græca Latinis commodius in duabus e regione unius paginæ columnis conjungerentur. Hoc postremo videtur admonendus Lector, Theologicos Sermones ab Antonio et Maximo monachis, ex sacris profanisque authoribus Græcis collectos, et Græce Latineque a nobis editos, cum hoc volumine conjungi debere, si modo per magnitudinem in unum volumen coire possint: sin minus, argumenti tamen ususque ratione a studiosis tanquam unius authoris duo Tomi jungentur. Verba facturus autem aliquis de quacunque re, quæ in communem sermonem venire solet, ut mox, ubi eadem in nostris vel aliorum locis tractentur, inveniat, Indicem nostrum Universalem, sive secundum Bibliothecæ Tomum consulat, ubi inter cæteros passim etiam Stobæi et Antonii Maximique locos citamus. Si vero nimis laboriosa inquisitio ista videbitur, sat fuerit inspexisse Indices cum Stobæi et Monachorum libris excusos. Iterum vale.

Cæterum jam tertia hæc editio, alteri quidem eadem, sed multo emendatior est.

VIRO ILLUSTRISSIMO
NICOLAO BRULARTO SILLERIACO,
GALLIÆ CANCELLARIO,
HUGO GROTIUS S.

DUBITAVI, Vir Illustrissime, et ex cujus meritis summæ, quam obtines, dignitati summa dignitas accessit, auderemne huic literario operi tuum cunctis gentibus celeberrimum nomen inscribere. Nam si me respicerem, non ignorabam quantum tibi deberem, in quo et innocentia mea præsidium reperisset, et calamitas solatium. Ad te vero si me verterem, nescire non poteram, quantum hæc nostra infra celsum illud fastigium, in quo te Deus et Reges et sapientia tua locarunt, subsiderent. Malui tamen inopiam testatam facere, quam debiti professionem defugere. Nam et apud Orientis populos, ubi Reges sine donis adire nefas erat, minimo defungi licebat, et quibus magnarum victimarum non suppetebat copia, mola salsa litare credebantur. Movit me et hoc quod ab aspectu tuo relegandæ non sunt literæ istæ, quas tam feliciter imbibisti, ut hac laude censeri possis, nisi hanc aliarum magnitudo obrueret. Feci autem eo libentius, ut qui non privatis tantum sed publicis quoque nominibus tibi obstrictus sum, non privatim hoc modo sed publice quoque significarem. Nam cum in Gallia et securitatem et tranquillum otium Regio beneficio, te commendante, nactus sim, par est ut aliena a me non sentiam bona, quæ per te Galliæ contigerunt. Nam quod gravis illa belli civilis tempestas externa etiam arma facile huc tractura desæviit, quod relocato ubique Regis imperio non pax tantum regno, sed et pacis mansuræ fiducia obtigit, tuæ præcipue filiique tui prudentiæ atque industriæ accepto ferendum, omnes boni agnoscunt, et mali negare non audent. Accedit alterum, pro quo non minus vobis debeo, quod insistentes HENRICI Magni consiliis, patriæ meæ salutem cordi vobis esse ostenditis: neque tantum apud vos potest paucorum improbissimorum hominum ingratus ac malignus animus in Regem de suo benignum, alieni nec indigum

nec cupientem, ut propterea deserendam censeatis rempublicam, in qua plurimi res mutatas, prostratas leges, amicitiam Galliæ fœde habitam tacite gemunt, quæ libertas ultima exuitur. Faxit Deus ut aliquando Regis auctoritate, consiliis tuis, non Galliam modo videre liceat, intus firmam ac stabilem, extra amicitiis fidelibus suffultam, inimicis formidabilem, sed patriam quoque meam in eum restitutam statum, in quo ab anno CIↃ IↃ LXXXIX ad annum CIↃ IↃC XVIII Europa mirante floruit. Cui si hoc insuper addatur, ut quæ nunc toto ferme orbe Christiano exarserunt bella aut bellorum semina, ea, Gallia arbitrante, tolli æquis legibus possint, is vero ad laudes tuas maximus accedet cumulus, perpetuoque exstabit utilissimum humano generi munus, nec humanis tantum gratiis laudibusque pensandum, sed ejus inprimis bonitate, qui pacis auctoribus utriusque vitæ præmia liberaliter promisit: cujus tutelæ Regem optimum, ac regnum, teque ac tuos, Vir Illustrissime, quantum possum commendo. Postridie Kalendas Maii CIↃ IↃC XXIII. Lutetiæ.

HUGONIS GROTII

PROLEGOMENA.

SOLEBANT Græci ad librorum quos legebant marginem, ut quid memoria dignum occurrerat, aut stellam appingere, aut χ literam, quæ significaret χρηστὸν, id est, *utile* esse, quod eo in loco dicebatur. Deinde eorum, quæ sic observaverant, plerique sibi collectionem faciebant aliquam, quam vocabant χρηστομάθειαν, eamque digerebant in libros ac titulos, tanquam in promtuaria unde, ubi opus esset, peterentur. Excellens in hoc genere fuit Joannis Stobæi labor, quem ad manus nostras venisse eo majoris putandum est, quod ad facienda collectanea usus est scriptoribus multis quos nobis ætas invidit: ita ut ipse nunc eorum vicem apud nos suppleat. Vixit autem is Joannes Stobæus quo tempore incertum, at certe postquam Imperatores Christianismum erant professi: nam Jamblichi inter cæteros auctoritate utitur, qui ad Juliani tempora provixit. (Quæ vero serioris ævi in quibusdam libris comparent, non ab ipso sunt Stobæo, sed aliorum collectione addita, ut solent hoc genus opera multorum additamentis crescere.)

In disponendis collectaneorum titulis pro ingenio ac captu sibi quisque ordinem eligit: quem vero secutus sit Stobæus operæ pretium est noscere. Anno CIↃ IↃ XLIII. librum Stobæi Gesnerus edidit ac Latine vertit inscriptum hoc modo: Κέρας Ἀμαλθείας. Ἰωάννου τοῦ Στοβαίου ἐκλογαὶ ἀποφθεγμάτων καὶ ὑποθηκῶν. Is liber sine ulla partitione alia in titulos excurrit CXXVII. Nam quod CXXV. in editionibus tantum apparent, exscriptoris est vitium, qui numeros XXXVII et XXXVIII. bis posuit. Postea anno CIↃ IↃ LXXV. ex Joannis Sambuci bibliotheca Guilielmus Canterus edidit ac Latinitate donavit aliam Stobæi partem hoc titulo: *Joannis Stobæi Eclogarum libri duo, quorum prior Physicas, posterior Ethicas complectitur.* Sed ex Photii bibliotheca, quod res est, discimus, in Stobæi opere primum obtinuisse locum libros duos quos Canterus edidit: secuta deinde quæ ediderat Gesnerus, non uno ut nunc libro, sed

duobus, quorum posterior, operis totius quartus, initium faciebat a titulo de Republica. Quibus cognitis, non difficile est assequi, quam in ordinandis titulis rationem secutus sit Stobæus. Nam Sapientiæ studium, quod philosophiam dicimus, cum Epicuro atque aliis divisit in partem naturalem et in moralem: non sine causa. Nam rationalis ars, ut et oratoria, magis totius vitæ instrumentum est, quam studii illius pars aliqua. Nomen autem naturalis scientiæ sumsit haud paulo laxius quam vulgo sumi solet, sub naturæ vocabulo non corporalia tantum, sed et incorporalia comprehendens, etiam æternam et omnis naturæ opificem naturam, quam Deum dicimus. Itaque et tractatio de Deo et providentia, et de numeris ac figuris, totaque sideralis scientia hoc ambitu includitur. Moralium liber primus generalem continebat doctrinam de virtute, et iis quæ ad virtutem ducunt: facto initio ab ea parte quam Laertius vocat περὶ τῆς πρώτης ἀξίας, (M. Antoninus: ἔσω βλέπε. μηδενὸς πράγματος μήτε ἡ ἰδία ποιότης, μήτε ἡ ἀξία παρατρεχέτω σε. *Æstimationem* Cicero,) Seneca *inspectionem suum cuique distribuentem, et æstimantem quanto quidque dignum sit.* Primus igitur titulus erat, de Dei et rerum divinarum cognitione, quem scilicet illa ad mores usum habeat. Hunc excipiebat secundus, de rationali arte et oratoria, deque oratione et literis, tum vero etiam de poetica, et dicendi forma qui *character* dicitur. Tertius erat de ipsa morali parte sapientiæ. Quartus de vero ejus fundamento, hoc est, humanæ voluntatis libertate. In Canteri editione secundus titulus cum primo coaluit. Tertius autem in quinque titulos est distributus. Qui vero post illum de libertate voluntatis humanæ titulum sequebantur ad numerum usque XLVI. perierunt, solaque eorum lemmata apud Photium restant, ex quo discimus tractatum inibi qualem esse philosophum oporteat, tum de religione, ut quæ ad mores recte formandos maxime est necessaria, tum multa quæ ad hominum inter se conversationem præcipue pertinent, et quæ momentum aliquod in vita habere putantur, ut fama ac gloria, tum de virtute generalia quædam: pars vero libri ultima de amicitia erat, deque beneficiis et gratia: quam partem cum alii postremam moralium faciant, Stobæus ideo, puto, priore loco posuit, quod amicitiæ ad discendam colendamque virtutem usum maxime consideraret, (quo sensu jam inter ποιητικὰ, id est, *efficientia* ho-

nestarum actionum ponunt Stoici.) Absoluta hac generali tractatione, sequebatur libro tertio, quæ pars prior est Gesnerianæ editionis, specialis virtutum vitiorumque enumeratio. Liber vero ultimus, qui ejusdem editionis pars est posterior, primum continet civilem scientiam, ad quam refertur et militaris. Sequitur ab eo, qui nunc est titulus LVI., ars rei familiaris, usque ad titulum XCVIII. Pars postrema ad libri usque finem continet præcepta, quæ variis humanæ vitæ casibus respondent, neque commode satis ad antecedentes titulos referri potuerunt.

Ego cum alia, quæ apud Stobæum extant, fragmenta veneratus sum semper, tum pro meo in artem poeticam affectu singulariter dilexi, quas ipsius beneficio servatas habemus, poetarum reliquias. Videbam enim sæpissime in illis usu venire id, quod de Homero dixit Horatius:

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius et melius Chrysippo et Crantore dicit.

Peculiariter de Euripide memineram a Cicerone dictum, *singulos ejus versus singula esse testimonia.* Quem et Quintilianus ait *in his quæ a sapientibus sunt tradita, pæne ipsis esse parem* (Athenæus vero *scenicum philosophum* appellat.) Menandrum vero, qui eodem Quintiliano judice *omnem vitæ imaginem expressit,* quomodo non suspicerem, cum ejus sententiam quandam Apostolorum eximius in divinis suis paginis consecrarit? Cujus exemplum secuti Clemens Alexandrinus aliique scriptores antiqui Christianæ disciplinæ, passim de Græcorum poetarum libris emblemata sumunt, quibus opera sua exornent. Perstiti in eodem affectu, ex quo ad rempublicam sum vocatus. Occurrebat enim animo quod de Cæsare Augusto Suetonius scripserat, *in evolvendis utriusque linguæ auctoribus nihil æque eum esse sectatum, quam præcepta, et exempla publice vel privatim salubria: ita ut ea ad verbum excepta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mitteret, prout quisque monitionis indigeret.* Has ob causas sæpe me impetus cepit sequendi Ciceronis exemplum, qui optima quæque ex Græcis tragœdiis atque comœdiis loca Latinis versibus reddebat, ut in promptu ea haberet, usui futura ad orationes aut scripta Philosophica. Quod in versibus a Stobæo conservatis eo majore cum fructu facturus mihi videbar, quod Gesnerus

nullos versus versibus reddiderat, contentus soluta oratione sensum exprimere, magno cum gratiæ detrimento: quos autem verterat Canterus Græce Latineque doctissimus, ita verterat, ut appareret in carminibus faciendis eum minus fuisse exercitatum. Captam pridem hanc cogitationem quominus exsequerer, negotiorum moles atque æstus obstitit, donec, ita volentibus reipublicæ fatis, in carcerem Hagæ conjectus, quamdiu scribendi instrumenta relicta mihi sunt, ex hoc exercitamento, juxta Deum et bonam conscientiam amati semper a me status præsentis reipublicæ et concordiæ procuratæ, optimum mihi solatium paravi. Perveneram ad titulum XLIX., cum scribendi quoque copia mihi est ademta, relicto mihi ex memoria eorum, quæ legeram scripseramque, tam vastæ solitudinis levamento. Lupistenum traductus postea resumsi intermissum opus, et ad exitum perduxi. Verti autem carmina Græca simili versuum genere, nisi quod pro Lyricis lege solutis Lyricos vinctis numeris, ut Latinis usitatiores, substitui. In Comicorum versibus interpretandis usus sum libertate numerorum Comica, non tanta tamen, quantam Plautus et Terentius usurpant, sed ferme qualis est in apologis Phædri. Verti autem[a] non nimium serviliter, adductius tamen quam Aratum Cicero, Germanicus, Avienus, Dionysium Priscianus, et idem Avienus, ita ut plerumque versuum quoque numerum æquaverim. Hujus operis voluptas ad aliud me simile produxit, ut ex Sophocle et Euripide, quicquid ad mores faciens Stobæus intactum reliquerat, verterem: atque itidem sententias quas ex aliorum tragœdiis et e comœdia recentiore habemus reliquas: quæ collectio Stobæi opus exæquat, aut superat. Scripsi in eodem carcere Lupisteni juris Hollandici institutiones patrio sermone. Scripsi sermone eodem, sed versibus, libros sex in usum popularium, peregrinantium maxime, ut qui impiorum, Paganorum, Judæorum, Mahumetistarum consuetudinem declinare non possunt, haberent quo aut se tuerentur, aut etiam alios convincerent. In eo opere, quod nuper factum est publici juris, sicut me aliorum ante me laboribus adjutum profiteor, ita et ordinem, et alia quæ proprie a me sunt, non displicitura æquis judicibus confido. In his dum occupor, scripsit ad me

[a] Vide Hieronymum ad Pammachium de optimo genere interpretandi.

vir demerendæ posteritati natus, Thomas Erpennius, Orientalium linguarum instaurator, parari a se editionem librorum Novi Fœderis Græcam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, cum variis interpretationibus Latinis: ad eam notis ornandam implorari a se operam amicorum, quos inter et me, magis pro affectu suo quam pro merito meo, ponebat. Ego quamvis scirem quam parum spicilegii post doctissimorum virorum Erasmi, Bezæ, Maldonati, Jansenii messes restaret, tamen ut viro tanto obsequerer, conjeci in chartam quæ ad veræ lectionis indagationem, interpretationem verborum ac locutionum, collationem locorum idem argumentum tractantium, rituum morumque illustrationem, pertinere mihi videbantur. Jamque ad Lucæ finem perveneram, cum admirabili beneficio Dei e vinculis exemtus sum. Unde in Galliam cum venissem, exceptus sum a Rege Christianissimo ea benignitate, qua supplices, non sua culpa sed publica calamitate miseri, a Regibus bonis ac justis excipi solent. Atque heic otii nactus copiam, primum officii mei credidi, veritatem eorum, quæ a nobis et in nos erant acta, humano generi cognitam facere: quod strictim et optima fide feci in Apologetico, facturus uberius in Annalibus, quos maxima parte confectos habeo, qui, si quid de mendaci opinione apud aliquos hæsit, abunde abstergent. Ab hac cura secundam duxi de edendis, qui apud Stobæum exstant, versibus Græce ac Latine. Græca dedi innumeris locis emendatiora tum quod sensum, tum quod carminum leges attinet, partim ex conjectura mea et amicorum qui in Notis nominabuntur, partim ex libris, quos ex regia Bibliotheca comitate viri clarissimi et eruditissimi Nicolai Rigaltii nactus sum. Nam in ipsum contextum emendationes recepi, quo minore cum offensa legeretur: ejus autem, quæ ante apparebat, lectionis in Notis feci mentionem. Sed et manuscriptorum ope auctior facta est hæc editio versibus aliquammultis, qui in vulgatis codicibus desiderabantur.

Utilitatem hujus operis non est quod multis commendem. Constat enim, cum omnes sententiæ et scite dicta usum habeant maximum, tum ea, quæ versibus continentur, et jucundius influere animo, et in memoria firmius hærere. Hinc est quod antiquissimis sæculis sapientiæ præcepta non nisi carminibus dabantur: quo et Homeri illud pertinet, quod narrat, Clytæmnestram ad vitium non prius flexisse, quam cantorem amiserat.

Tantum monendi sunt juvenes, non omnibus dictis adhibendum esse assensum, sed dilectu opus. Nam quia poetarum ars in movendis affectibus maxime illucescit, ideo fit, ut dicta illorum non semper cum regulis congruant sapientiæ, quæ affectuum est moderatrix: quod in libris de republica allatis ex Homero exemplis probat Plato. Accedit, quod poetæ, ut pictores, tam curva quam recta imitantur, et cuique personæ pro ingenio ac moribus verba affingunt: quæ habenda sunt ut lineamenta animi ejus, qui loquens inducitur, non ut poetæ approbantis judicium. His periculis sapientissime occurrit Plutarchus libello quem ad juvenes scripsit De poetarum lectione, quem ea de causa huic operi præfigendum curavimus. Optime enim docet poetarum dicta exigenda ad ea, quæ severiores professores, philosophi scilicet, dictant. Sed ne sic quidem vitatur periculum: nam et in his ipsis, quæ rationis ductu cognosci aliquatenus possunt, falli videmus philosophos, unde tanta inter ipsos placitorum discrepantia; et sunt quædam res ejus generis, ut earum veritatem sola humana ratio per se indagare non possit. In quibus rebus cum alii philosophi sæpe ab eo, quod res est, aberrant, tum ipse etiam in eo, quem dixi, libro Plutarchus, ut cum de providentia agit, et de his quæ post hanc vitam sunt exspectanda. Multum ergo Deo Optimo Maximo debuerunt Hebræi veteres, plus eidem Christiani debemus, quibus omnia, quæ ad vitam recte instituendam momentum aliquod habent, ea certitudine sunt patefacta, ut apud probos animos nullus dubitandi relinquatur locus. Nam a Deo profecta esse ea, quæ Prophetæ et Apostoli nobis prodiderunt, constat, quo unico modo constare id[b] potest et quantum potest, editis prodigiis, et ipsorum testimonio, cui fidem adstruit vitæ innocentia, nullum ex mendacio lucrum, et multa mala, interdum mors quoque, ob id testimonium tolerata. Quæ autem a Deo dicuntur vera esse, inter enuntiata est primitivæ lucis, quæ lucem aliunde non fœnerantur. Nam in ipso Dei nomine, ut omnis boni, ita et veracitatis inclusa est significatio. Sicut ergo a poetis ad philosophos, ita et a poetis et a philosophis ad tribunal tertium[c], hoc est ad Prophetas et Apostolos, nobis provocandum

[b] Et tabernaculum Mosis et templum Solomonis et Zerobalis multa habuit ab Ægyptiis, Syris, Arabibus, Persis.

[c] Tert. de Anima.

est: atque ea demum dicta rata habenda, quæ in hoc auditorio stare possunt. Qua de re cum et pie et facunde, ut solet, dissertaverit Basilius non immerito Magni adeptus nomen, ejus quoque orationem ad hoc argumentum pertinentem in limine operis ponendam censuimus; ut quo modo adversus poetarum fascinum ex Plutarcho, ita adversus Plutarchi et aliorum, extra Dei oracula philosophantium, contagia remedium juventuti paratum sit ex Basilio.

Quod autem suadet Basilius, idem ego quam possum maxime suadeo adolescentibus, ut quam diligentissime eas sententias, quæ in sacro codice exstant, cum Græcorum sententiis comparent. Magnam enim inde non utilitatem tantum sed et voluptatem capturos spondeo. Jam olim valde in sententioso dicendi genere excelluerunt Orientis populi: quod inter cætera ostendunt libri Arabum gnomologici, quos, ut multa alia, primus Europæ donavit is, quem modo nominabam, Erpennius: unde discimus Pythagoricum illud, ignem gladio non fodiendum, ut multa alia ejus scholæ, ab Oriente venisse. Antiquitatem hujus studii testatur illud priore Samuelis libro, qui Latinis Regum primus, capite xxiv. commate 14. כאשר יאמר משל הקדמני מרשעים יצא רשע: id est: *Ut ait sententia veteris illius, a malis procedit malum:* quæ sententia Græco adagio respondet, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, *malum corvus malus edidit ovum.* Vox quæ *sententiam* eo loco denotat, proprie *comparationem* significat, unde παραβολὴν tum eo loco, tum alibi, verterunt Hellenistæ, qui ad Hebræum sermonem quam proxime accedere malunt, quam Græci sermonis elegantiam sequi. Causa istius nominis hæc est, quod vetustissimi auctores de moribus et republica præcepta tradere solebant per comparationes sive plenas, quas proprie παραβολὰς Rhetores vocant, sive decurtatas, easque aut sumtas a rebus plane fabulosis, qualis est illa de arboribus, oliva, vite, carduo, Judicum viii. 8. et de paliuro ac cedro II. Paralipomenon xxv. 18. de accipitre et luscinia apud Hesiodum, Demosthenis de lupis, canibus, et ovibus, Menenii de membris humani corporis: aut a rebus verisimilibus, qualis illa Nathanis ad Davidem, et Christi pleræque. Has comparationes decurtatas αἴνους antiqui vocabant, postea *apologi* dici cœperunt. Et quia contracta fabella fit παροιμία, ideo per abusionem, quas alii Evangelii scriptores παραβολὰς vocant, Joannes

vocavit παροιμίας x. 6. xvi. 25. xvi. 29. Contra apud Matthæum xv. 16. vocatur παραβολὴ quæ re vera est παροιμία. Ab hoc frequente comparationum et fabellarum usu omnis sermo a vulgari recedens apud Hebræos משל dici cœpit, ut videre est Ezech. xx. 49. Neque vero figurata tantum oratio, sed et simplex, quæ modo præceptum aliquod utile contineret. Hinc Hebræis משלי, Græcis παραβολαὶ (et παροιμίαι) inscribitur liber ille qui primum Solomonis dicta, ut ab ipso sine ullo ordine effusa sunt, continet, deinde collectanea ex aliis ejusdem et aliorum libris, itidem sine ordine, ἀφοριστικῶς, quomodo apud Græcos scripserunt Theognis, et vetus verusque Phocylides. Nam qui nunc ejus nomine exstat, liber est hominis Christiani, quomodo et sub Sibyllarum et Hermetis Trismegisti nomine homines Christiani libros ediderunt, sicut et Pythagorici nomina Orphei ac Lini imposuerunt libris suis. (Simili quoque modo scriptos habemus ab Isocrate libros duos, alterum de vita privata ad Demonicum, alterum de regia ad Nicoclem.) Ad exemplum illud Solomonis et eorum qui ipsum secuti sunt, sententias partim suas partim aliunde collectas in corpus unum, sed nullo itidem ordine, redigere cœperat Jesus Sirachi pater, absolverat autem Jesus alter ejusdem Sirachi filius; quem librum, ut et alterum similem Ecclesiastici titulo, qui Philonem quendam, non illum Caianorum temporum, sed antiquiorem habere auctorem creditur, Alexandrinæ synagogæ debemus. Horum igitur librorum sententias cum Græcis, quæ apud Stobæum et alibi exstant, si quis diligenter contulerit, eum, ut dixi, grande pretium operæ facturum puto.

Sed et in Christi dictis plurima sunt ex medio vulgi sermone aut ex sapientum præceptis desumta, sed quæ ipse plerunque a rebus humanis ad divinas transtulit. Hæc quoque dicta cum dictis Græcorum et Romanorum contendere, non insuave erit. Exempli causa quod apud Matthæum est capite v. *Deus solem suum oriri facit super bonos et malos:* Seneca sic extulit: *et sceleratis sol oritur.* Quod apud eundem Matthæum vii. est, *Quærite et invenietis*, idem est cum illo Sophocleo:

πᾶν ζητούμενον ἁλωτόν.

quicquid quæritur
Reperire spes est.

(*Nil tam difficile est quin quærendo investigari possiet.* Te-

rentius Heautontimorumeno.) Illud vero ibidem: *Quid autem vides festucam in oculis fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* sensum habet eundem quem[d] Menandri illud:

ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοὶ,
αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
Nempe omnes aliis recte consilium damus:
At ipsi nostra errata non advortimus.

Et illud ejusdem:

οὐθεὶς ἐπ' αὑτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
σαφῶς· ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Quicunque fœdum admittit aliquid, Pamphile,
Non videt hoc ipse: at alius, si faxit, videt.

Eodem pertinet Latinum illud vetus:

Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Et illud Ciceronis: *Stultitiæ proprium est aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* Propius etiam accedit illud ignoti auctoris:

τὸ μὲν ἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε,
κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις.
Alienum vitium, quæ tua est malignitas,
Acute cernis, at tuum prætervides.

Unde illud suum sumsit Horatius:

Cum tua prævideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Quod autem est capite x. *Nihil enim est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur;* convenit cum illo Sophocleo:

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα.
Humana longis cuncta curriculis dies
Occulta pandit.

Et illo Menandri:

ἄγει τε πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.
In lucem tempus veritatem protrahit.

Quod est capite xii. *Omne regnum divisum contra se desolabitur; et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit:* convenit cum illo Sophoclis:

[d] Senecæ dictum: *Papulas observatis alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus.*

ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν·
αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
οἴκους τίθησιν.

Non ulla major pestis imparentia est:
Hæc et domos evertit, et claras diu
Prosternit urbes.

Cui similis ille Ciceronis locus: *Quæ domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* In eodem Matthæi capite alia est sententia: *Ex abundantia cordis os loquitur;* idem valens cum illo Menandri:

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Humani ingenii indicium facit oratio.

Et isto Aristidis: οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος. *Quale ingenium talis et oratio.* Sic illud quod duobus locis occurrit: *Multi vocati, pauci electi;* Theodoretus explicat isto Græcorum, quanquam ex vana religione veniente, proverbio:

πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

Multi thyrsigeri, pauci quos Evius afflat.

Et illud quod item non uno loco legitur: *Habenti dabitur*, ex populari sermone desumptum est: cui respondet illud apud Martialem,

Dantur opes nullis nunc nisi divitibus.

Innumera id genus reperient, qui cum cura sacros et profanos scriptores legere volent. Ante omnia vero in lectione Græcorum ac Latinorum observare juvenes diligenter debent quicquid occurrit non ad vitæ communis regulas, sed ad veram pietatem pertinens: cujus sicut lux plena in sacris tantum codicibus apparet, ita scintillas passim apud alios conspicere est tam multas atque varias, ut ferme dicere audeam, sicut nemo omnia vidit, ita nihil esse quod non aliquis viderit: ut partim miserari liceat gentes in densissimis tenebris palpando viam quærentes, partim mirari Dei bonitatem, qui veritatem sub injustitia detentam non plane sivit obrui. Quod ut exemplis aliquot illustremus, et viam monstremus adolescentibus, quam insistentes simul et in literis et in pietate proficere possint, initium faciemus ab eo quod monent sacra oracula, Sapiendum sobrie in rebus divinis, Arcana Dei Deo relinquenda, Scrutatorem majestatis obrui a gloria, et quæ alia sunt in eum modum. Nam his pulchre congruit Philemonis illud:

θεὸν νομίζου καὶ σέβου, ζήτει δὲ μή·
πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.
Credi Deum colique, non quæri, decet:
Nam præter ipsum quærere, acquires nihil.

Et hoc Anaxandridæ:

ἅπαντες ἐσμὲν πρὸς τὰ θεῖ᾽ ἀβέλτεροι,
κοὐκ ἴσμεν οὐδέν.
Ad res divinas blenni nos homines sumus,
Nec scimus hilum.

Nec abit illud Aristarchi:

καὶ τ᾽ αὖ ἴσον μὲν εὖ λέγειν, ἴσον δὲ μή,
ἴσον δ᾽ ἐρευνᾷν, ἐξ ἴσου δὲ μὴ εἰδέναι.
πλεῖον γὰρ οὐδὲν οἱ σοφοὶ τῶν μὴ σοφῶν[e]
εἰς ταῦτα γιγνώσκουσιν· εἰ δ᾽ ἄλλου λέγει
ἄμεινον ἄλλος, τοῦ λέγειν ὑπερφέρει.
De rebus istis par loqui, vel non loqui;
Par jus et ignorantis et quærentis est.
Nec qui putantur sapere, plus horum vident
Inerte vulgo: si quis autem rectius
Loqui videtur, plus habet solum loqui.

Quibus accedat illud Xenophontis: *ὅτι μὲν γὰρ τὰ θεῖα ὑπὲρ ἡμᾶς παντὶ δῆλον· ἀπόχρη δὲ τὸ κρεῖττον τῆς δυνάμεως αὐτοῦ σέβειν. οἳ δ᾽ εἰσιν οὐδ᾽ εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔτε ζητεῖν θεμιτόν. οὐδὲ γὰρ δεσποτῶν φύσιν ἢ πρᾶξιν δούλους δεῖ εἰδέναι, οἷς οὐδὲν πλέον ὑπηρεσίας προσήκει. Res divinas super nos esse manifestum est. Debetur autem naturæ excellentiori ac potentiori veneratio: at quales sunt Dii* (dicemus nos quæ sit Dei natura) *tam difficile est repertu quam scrutatu nefas. Nam neque dominorum naturam aut actus famulis esse cognitos oportet, quibus obsequii gloria relicta est.* Ad quem locum videtur respexisse Nazianzenus[f] cum agens de Christo dixit, Servorum non esse disputare de natalibus domini. Generales tamen Dei proprietates, ex quibus in sacris

[e] Plato Timæo: *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.* Citat Theodoretus de Græc. aff. cur. lib. 11.

[f] Idem sensus apud Hilar. lib. 1. de Trin. apud Ambros. lib. V. . . . . Chrysostom. lib. 1. de Trin. Adde Iren. lib. 11. c. 48. Bas. 1. Homilia *In principio erat verbum.* Cyr. libro 1. Thesauri c. 5.

Chrys. iv. 21. *πολλῷ μᾶλλον τὴν τοῦ δεσπότου γέννησιν πολυπραγμονοῦντες, ἐς ὑβρίζοντες τὰ ἔσχατα πεισόμενοι.* [In hac nota quædam propterea omisi, quod legere non potui.]

libris inconspicuus, immensus, æternus, optimus dicitur, Græci non omnes ignorarunt, ut ex his versibus apparet qui ex tragœdia vetere citantur:

Χώριζε θνητῶν τὸν Θεὸν, καὶ μὴ δόκει
ὅμοιον αὐτῷ σάρκινον καθεστάναι·
οὐκ οἶσθα δ' αὐτόν. ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται
ἄπλαστον ὁρμῇ· ποτὲ δ' ὕδωρ, ποτὲ δὲ γνόφος.
καὶ θηρσὶν αὐτὸς γίνεται παρεμφερὴς,
ἀνέμῳ, νέφει τε, κἀστραπῇ, βροντῇ, βροχῇ·
ὑπηρετεῖ δ' αὐτῷ θάλασσα, καὶ πέτραι,
καὶ πᾶσα πηγὴ, καὶ ὕδατος συστήματα·
τρέμει δ' ὄρη, καὶ γαῖα, καὶ πελώριος
βυθὸς θαλάσσης, κὠρέων ὕψος μέγα,
ὅταν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου.

Sejunge ab omni sorde mortali Deum,
Nec carne amictum, nec tui similem puta:
Ignotus ille est: nunc ut implacabilis
Apparet ignis, nunc tenebris, nunc aquæ
Par ille cerni. Simulat interdum feram,
Tonitrua, ventos, fulmen, ignes, nubila.
Inservit illi pontus et saxa horrida,
Liquidique fontes, amnium et cursus vagi.
Illum ipsa tellus horret, et juga montium,
Lateque fusa stagna cærulei maris,
Si forte torvo dominus ore aspexerit.

Cui accedat Antiphanis Socratici illud: Θεὸς οὐδενὶ ἔοικε· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται. *Deus rei nulli est similis: unde nemo eum ex effigie queat noscere.* Et Xenophontis: ὁ γοῦν πάντα σείων καὶ ἀτρεμίζων, ὡς μὲν μέγας τις καὶ δυνατὸς φανερός· ὁποῖος δ' ἐστὶν μορφὴν ἀφανής. *Ille igitur qui cuncta contutit terretque, certe quod liquet magnus potensque est: at inconspicuus ut, qua sit forma, sciri nequeat.* Et Thaletis: qui interrogatus quid esset Deus, respondit, τὸ μήτε ἀρχὴν μήτε τέλος ἔχον· *id quod principio ac fine caret.* Iterumque ab alio rogatus an Deum latere posset homo agens quippiam; *Imo*, inquit, *ne cogitans quidem.* (Antipater Tarsensis: [ap. Plutarch. II. p. 1051. E.] θεὸν τοίνυν νοοῦμεν ζῶον μακάριον καὶ ἄφθαρτον καὶ εὐποιητικὸν ἀνθρώπων. *Deum credimus vivens beatum, interitus expers, in homines beneficum.*) Accedat heic illud Philemonis:

Θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νοητέον;
τὸν πάνθ' ὁρῶντα καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον.
Dic, quæso, qualem fas putas credi Deum?
Qui cuncta spectet ipse non spectabilis.

Et illud quod alii Menandro, Diphilo alii asscribunt:

Τὸν ὄντα πάντων κύριον γενικώτατον
καὶ πατέρα, τοῦτον διατέλει τιμᾶν μόνον
ἀγαθῶν τοιούτων εὑρέτην καὶ κτίστορα.
Rerum universarum imperatorem et patrem
Solum perpetuo colere suppliciter decet,
Artificem tantæ et largitorem copiæ.

Tum vero Melanippidæ carmen:

Κλῦθί μοι, ὦ πάτερ, μέγα θαῦμα βροτῶν,
τὰς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων.
Me, pater, audi, quem gens hominum
Mirata colit: cui morte carens
Anima est cordi.

Et Euripideum hoc:

Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
ᵍ ῥόμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ'·
ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων
ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.
Te voco, te non aliunde satum,
Qui naturam turbine versas
Totam ætherio, quem lux circum,
Noxque atricolor semper, et ingens
Circumsultat chorus astrorum.

Quibus consonat illud Tullii: *Nec vero Deus, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, quam mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens.* Huc referendum quod Hebræorum Deum, quem *incertum*, id est *ἄγνωστον*, Lucanus vocat, Dion Cassius *ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ*, *ineffabilem atque inconspicuum*, Tacitus ita describit: *summum illud et æternum neque mutabile neque interiturum;* (Plutarchus *ἄφθαρτον, ἀγέννητον, εὐποιητικὸν*, *incorruptibilem, ingenitum, beneficum;*) quasi vim explicantes ipsius Hebræi nomi-

ᵍ *ῥόμβῳ* Eus. Schol. Eurip. in Oreste, et Schol. Apollonii Rhodii. Grotius in MSS. Olim *ἔμβρῳ*, et in versione, *qui naturam rerum textu clepis æth.*

nis יהוה, quod Græce ΙΑΩ extulerunt Philo Byblius, Diodorus Siculus, Porphyrius et alii. De hypostasium quoque distinctione, quanquam eo per se pertingere non potest humana ratio, aliquid ex traditione veteri hausisse putatur Plato[h], et, ut quidam existimant, etiam Aristoteles. Certe περὶ τοῦ λόγου Heraclitus quædam scripserat cum Christianorum sensu congruentia, ut ex hoc Amelii Platonici loco apparet: καὶ οὗτος ἄρα ἦν ὁ λόγος καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα τὰ γινόμενα, ὡς ἂν καὶ ὁ Ἡράκλειτος ἀξιώσειε, καὶ νὴ Δί' ὃν ὁ Βάρβαρος ἀξιοῖ ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, δι' οὗ πάνθ' ἁπλῶς γεγενῆσθαι. *Hæc est illa ratio per quam semper ea sunt quæ fiunt, ut et Heraclitus censet, atque adeo quam barbarus ille* (ita vocat Joannem Apostolum) *in primo rerum conditu inconditoque statu Deo astitisse, per quem simpliciter omnia facta esse ait.* Christiani veteres eodem trahunt illud Epicharmi,

Ἔστιν ἀνθρώπῳ λογισμὸς, ἔστι καὶ θεῖος λόγος.

deinde:

ὁ δέ γε τ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θείου λόγου.
Sicut est humana ratio, ratio sic est et Dei:
Et Dei a ratione ratio nascitur mortalium.

Mundum a Deo factum, quod Moses nos docet, ignorarunt philosophorum aliqui: at agnoverunt alii, et quidem ita clare, ut dixerit Plotinus, Si quis attendat, ex ipso mundo hanc quasi vocem auditurum, Deus me fecit. Citantur in hanc sententiam ex tragœdia Sophoclis, ut putatur, hi versus:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν Θεὸς,
ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν,
πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίαν.
Unus profecto est, unus est tantum Deus
Cœli solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti cærulum, et vim spiritus.

Omnipotentia quoque Dei Græcis non fuit incognita. Nam sicut sacræ literæ nos docent nihil esse Deo ἀδύνατον, ita Linus dixerat,

ῥᾴδια πάντα Θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.
Nil quod non facile efficiat divina potestas.

Et Callimachus: Εἰ Θεὸν οἶσθα,
ἴσθ' ὅτι καὶ ῥέξαι δαίμονι πᾶν δυνατόν.

[h] Vide Porphyrii loca apud Cyrillum libro 1. c. Jul., et Proclum Timæo.

Si Deus est tibi notus,
Hoc etiam noris, omnia posse Deum.

Et Epicharmus:

Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτο γινώσκειν σε δεῖ·
αὐτός ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης· ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεῷ.
Res nulla est Deum quæ lateat, scire quod te convenit:
Ipse est noster introspector, tum Deus nil non potest.

Providentiam Dei ad res humanas extendi negarunt aliqui: at idem cum sacris literis affirmarunt plurimi, inter quos ordinem merito mihi ducet is, cujus testimonio ipsum Paulum Apostolum uti non puduit, Aratus:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
ἄῤῥητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.
Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui compita numine magno,
Conciliumque virûm complet, pelagusque profundum,
Et pelagi portus. Fruimur Jove et utimur omnes:
Nos genus illius.

Homerus dixerat:

Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε
ὅππως κεν ἐθέλῃσιν. ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων.
Juppiter, ut visum, vires mortalibus addit
Et minuit: cunctis namque ipse potentior unus.

Idem:

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
ἐσθλοῖς δ' ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.
Omnipotens tribuit Deus ipse bonisque malisque
Divitias, quantas suadet dare cuique voluntas.

Pindarus vero:

Θεῷ δυνατὸν ἐκ μελαίνης
νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος·
κελαινεφεῖ δὲ σκότει καλύψαι
καθαρὸν ἁμέρας σέλας.
Ex atra rutilum nocte potest Deus
Nunc excire jubar, nunc nebulæ globo
Fulgorem medio demere de die.

Notat Salvianus a Platone moderatorem rerum omnium dici Deum, a Stoicis eum dici gubernatori esse similem. Idem hoc Tullii utitur testimonio: *Nihil præstantius Deo. Ab eo igitur mundum regi necesse est.* Tertullianus vero ostendit ex hoc communi sensu originem cepisse proverbia etiam non Christianis familiaria: *Deus videt: Deus reddet: si Deus voluerit: quod Deus dederit: Deus benefacit: Deus videt omnia: Deo commendo: Deus reddet: Deus inter nos judicabit:* Quibus adjungi possunt quæ Operum initio exstant apud Hesiodum, et plurima quæ Stobæus collegit physicorum titulo iv., quæ frustra heic repetam. Sed omittere non possum quin apponam heic Aristonis Iambos, ita ut eos emendandos et supplendos censeo: nam valde corrupti et confusi exstant apud Theophilum.

A. Θάρσει· βοηθεῖν πᾶσι τοῖσιν ἀξίοις
εἴωθεν ὁ Θεὸς, τοῖς δὲ τοιούτοις σφάδρα·
εἰ μὴ παρέσται προεδρία τις κειμένη
τοῖς ζῶσιν ὡς δεῖ, τί πλέον ἐστιν εὐσεβεῖν;
B. Εἴη γὰρ οὕτως· ἀλλὰ καὶ λίαν ὁρῶ
τοὺς εὐσεβῶς μὲν ἑλομένους διεξάγειν
πράττοντας ἀτόπως· τοὺς δὲ μηδὲν ἕτερον ἂν
σκοποῦντας ἢ τὸ λυσιτελὲς αὑτοῖς μόνον,
ἐντιμοτέραν ἔχοντας ἡμῶν διάθεσιν.
A. Επὶ τοῦ παρόντος· ἀλλὰ δεῖ πόῤῥω βλέπειν
καὶ τῶν ἁπάντων ἀναμένειν καταστροφήν.
οὐχ ὃν τρόπον γὰρ παρ᾽ ἐνίοις ἴσχυκέ τις
δόξα κακοήθης, τῷ βίῳ προσγίνεται
ὡς ἔτυχε πάντα· ταῦτα γὰρ κρίνουσ᾽ ἔχειν
ἐφόδια πρὸς τὸν ἴδιον οἱ φαῦλοι τρόπον·
ἀλλ᾽ ἔστι καὶ τοῖς ζῶσιν ὁσίως προεδρία,
καὶ τοῖς πονηροῖς, ὡς προσῆκ᾽, ἐπιτιμία.
χωρὶς προνοίας γίνεται γὰρ οὐδεέν.
A. *Animæquus esto. Nam solet dignos Deus*
Juvare, tales, qualis es tu, maxime:
Quod decet agentes, nisi quid eximium ferent,
Oro, quid ultra colere pietatem attinet?
B. *Utinam quidem id sit. Sæpe sed video nimis,*
Ad sanctitatis regulam qui se exigunt
Premi miseriis. At quibus cordi est nihil

Privata nisi quod res et utilitas jubent,
Florere nobis melius. A. *In præsens ita*
Fit nempe, sed prospicere nos longum decet,
Et opperiri, dum orbis in sese redit.
Haud namque vera est quæ tenet sententia
Plerosque prava, fortuitis lapsibus
Hanc fluere vitam: quod sibi viaticum
Corrupta turba sumit ad mores malos:
Sed et piorum facta mercedem ferent,
Et impiorum scelera supplicium manet.
Fit absque nutu quippe cœlesti nihil.

Ad præmia ac pœnas quæ hanc vitam sequentur, quarum promissis ac comminationibus plena sunt sacra oracula, potest forte ea, quam jam recitavi, sententia referri. Certe hæc quæ jam sequetur, sive Philemonis est sive Diphili, ita clara est, ut ab homine Christiano vix quicquam dici potuerit clarius:

Οἴει συ τοὺς θανόντας, ὦ Νικήρατε,
τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ
πεφευγέναι τὸ θεῖον ὡς λεληθότας;
ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ·
καὶ γὰρ καθ' ᾄδην δύο τρίβους νομίζομεν,
μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀσεβῶν ὁδόν.
εἰ γὰρ δίκαιος κἀσεβὴς ἕξουσιν ἓν,
ἡ γῆ δὲ καλύψει τοὺς δύο τῷ παντὶ χρόνῳ,
ἅρπαζ' ἀπελθὼν, κλέπτ', ἀποστέρει, κύκα·
μηδὲν πλανηθῇς· ἔστι κἀν ᾅδου κρίσις,
ἥνπερ ποιήσει Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
οὗ τ' ὄνομα φοβερὸν οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ·
ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς μῆκος βίον
δίδωσι.

Tune arbitraris mortuos, Nicerate,
Queis omnis vita satura delitiis fuit,
Effugere posse tanquam non memorem Deum?
Justitiæ vigil est oculus, qui nil non videt.
Ideo silentum credimus calles duos,
Quorum ille iniquos teneat, iste autem pios.
Nam si tantundem referent malus atque innocens,
Et utrosque tellus pondere æterno premet,
I, rape, furare, defrauda, misce omnia.

Sed ne te falle. Sua et in Orco notio est,
Quam Deus instituet rerum dominus omnium,
Cujus tremendum nomen, nec fandum mihi:
Qui spatia profert quamlibet peccantibus
Mortalis ævi.

Ad hanc providentiæ partem si non solam, præcipue certe referenda videntur et referri solent Euripidis illa, quæ vulgo cum antecedentibus comicis versibus male connectuntur·

Εἶ τις δὲ θνητῶν οἴεται τὰφ' ἡμέραν
κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἁλίσκεται.
[h]*ὅτ' ἂν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνει δίκη,*
τιμωρίαν ἔτισεν ἂν ἧξεν κακῶς·
ὁρᾶθ', ὅσοι νομίζετ' οὐκ εἶναι Θεὸν,
δὶς ἐξαμαρτάνοντες οὐκ εὐγνωμόνως·
ἔστιν γὰρ, ἔστιν· εἰ δέ τις πράσσει κακῶς
κακὸς πεφυκὼς, τὸν χρόνον κερδαινέτω·
χρόνῳ γὰρ οὗτος ὑστέρῳ δώσει δίκην.
Mortalium nunc si quis admittens scelus
Latere posse credit ultores Deos,
Sperat profana, speque captatur sua,
Ubi cœperit vacare divina ultio
Supplicia pendens justa factorum male.
Advertite esse qui Deum non creditis,
Pravaque mente duplicatis crimina:
Est, est, profecto. Qui mala admittit malus,
Hic temporis sibi ducat usuram lucro:
Nam postfutura ætate supplicium dabit.

Ejusdem est:

Ὁ δ' εὐσεβὴς ὢν, τοῖσι δυσσεβεστάτοις
εἰ ταὔτ' ἔπραττεν, πῶς τάδ' ἂν καλῶς ἔχοι,
εἰ Ζεὺς ὁ λῷστος μηδὲν ἔνδικον φρονεῖ;
Si jus sequentem cum profano atque impio
Sors æqua sequitur, quemodo bene res eant
Si nulla juris optimo cura est Jovi?

(Æschyli est illud dictum de vindice Deo:

ὃς οὐδ' ἐν ᾅδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ.
Qui nec apud Orcum mortuum absolvit reum.)

[h] *ἔτι δ'* et v. seq. *κακῶν* correxit Grotius in marg.

Heraclitus dixerat: *μένει τοὺς ἀνθρώπους ἀποθνήσκοντας, ὅσα οὐκ ἔλπονται, οὐδὲ δοκέουσιν. Manent homines post mortem qualia neque exspectant, neque cogitant.* Pindarus autem:

Ὃς ἂν ὁσίως καὶ δικαίως τὸν βίον
διαγάγῃ, γλυκεῖα οἱ καρδίαν
ἀτιτάλλουσα γηροτρόφος ξυναορεῖ
[i] *ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνητῶν*
πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.
Integros vitæ scelerisque puros
Spes alunt dulces animumque mulcent,
Et vagæ mentis, stadium ad senectæ,
Fræna gubernant.

[k] In aureo carmine est:

[l] *Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,*
ἔσσεαι ἀθάνατος Θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.
Ibis ad ætherias sedes, ubi corpore liber
Immortalis eris Deus, atque homo non eris ultra.

Apud Epicharmum:

Εὐσεβὴς τὸν νοῦν πεφυκὼς οὐ πάθῃς γ' οὐδὲν κακὸν
κατθανών. ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν.
Si tibi mens sancta fuerit, nil feres moriens mali:
Semper in cœlo beatus permanebit spiritus.

[m] Ad resurrectionem mortuorum refert Tertullianus proverbium vetus: *Abiit, et reverti debet.* Neque desunt philosophi qui eam docuerint. Sicut et de futura mundi conflagratione consentanea sacris oraculis scripsisse legimus Sibyllam et Hystaspem: unde sumta videntur illa, quæ ex tragœdia citantur:

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰώνων χρόνος
ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν σχάσῃ
χρυσωπὸς αἰθήρ· ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια

[i] Chrysostomus de Statuis XVI. *ὁ πλουτῶν ἐν κατορθώμασι καὶ πρὸ τῆς βασιλείας χαρᾶς μεγίστης ἀπολαύσεται, χρησταῖς ἐντρεφόμενος ἐλπίσι.*

[k] Unde non longe discedit illud Antiphontis: *ἀσεβῶν δὲ καὶ παραβαίνων τὰ εἰς τοὺς θεοὺς καὶ αὐτῆς ἂν τῆς ἐλπίδος (ὅπερ ἐστὶ μέγιστον ἀνθρώποις τοῦ βίου ἀγαθὸν) αὐτὸς αὑτὸν ἀποστερείη. Qui impius est et in divina peccat, etiam spe (quod maximum humanæ vitæ bonum est) ipse se spoliat.*

[l] Chalcidius: *Corpore deposito cum liber ad æthera perges, Evades hominem factus deus ætheris almi.*

[m] Antisthenes dicere solebat *τοὺς βουλομένους ἀθανάτους εἶναι, δεῖν ζῆν εὐσεβῶς καὶ δικαίως.*

φλέξει μανεῖσ'· ἐπὰν δ' ἄρ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν,
φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθός,
γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, οὐδ' ἀὴρ ἔτι
πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρούμενος·
κἄπειτα σώσει πάνθ', ἃ πρόσθ' ἀπώλεσε.
Nam veniet ille, veniet haud dubie dies,
Laxabit ignis cum redundantes opes
Auratus æther: lege tum spreta furens
Terras, et illis quicquid est sublimius,
Depascet ardor. Inde cum defecerit
Hoc omne, nulla jam ferent undas vada,
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exustus aer pascet aligerum genus:
Mox reddet idem cuncta, qui exitio dedit.

Hinc et Ovidius videri potest sumsisse illud suum;
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

(Post quem Lucanus:
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus.)

Pronos esse ad peccandum homines docet sacra auctoritas. Cui convenit dictum Sopatri: σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις. (Et quod apud Thucydidem legimus: πεφύκασί τε ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν: *ita omnes nati sunt, ut et privatim et publice multa peccent.* Et Sophocles:

ἀνθρώποισι γὰρ
τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τ' ἐξαμαρτάνειν:
Errare cunctis insitum mortalibus.)

Et Senecæ hoc: *Peccavimus omnes: alii gravia, alii levia, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati: alii bonis consiliis parum fortiter stetimus, et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum ævi delinquemus.* Ejusdem est: *Inter cætera mortalitatis incommoda et hæc est caligo mentium, nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor.* Et hoc: *Idem semper de nobis pronuntiare debebimus, malos esse nos, malos fuisse.* (Ejusdem est, *Nemo invenitur, qui se possit absolvere*, Themistius philosophus eundem sensum sic extulit: τὸ μηδὲν

ἁμαρτάνειν ἔξω τῆς φύσεως κεῖται τῆς ἀνθρωπίνης: *nihil peccare extra humanæ naturæ conditionem positum est.* Aristides de Concordia ad Rhodios: τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀναμαρτήτους φῦναι, θεῶν· καὶ τῶν ἐπὶ γῆς οὐδ' εἰς ἕνα ἡμῶν ἀφικνούμενον. *Perpetuo a peccato vacare deorum est, nec ad nostrum, qui terram incolimus, quemquam pervenit.*) Plotinus etiam initium quod sit hujus mali vidit: ὀλίγη κατ' ἀρχὰς τροπὴ προϊοῦσα αὕτη πλέον καὶ μεῖζον τὸ ἁμαρτανόμενον ἀεὶ ποιεῖ, καὶ σῶμα δὲ συνέστη καὶ ἐξ ἀνάγκης ἐπιθυμία. *Exigua in principio inclinatio procedens graviora facit ac plura quæ peccantur. Cum autem corpus in nobis existat, necessario existit etiam cupiditas.* Cui addi potest Aristotelis illud: ἡ γὰρ ἀρχὴ τοιαύτην ἔχει τὴν δύναμιν, πολλὰ παρασκευάζειν οἷά περ αὐτή. τοῦτο γάρ ἐστιν ἀρχῆς ἔργον, ποιῆσαι, οἷον αὐτὴ, ἕτερα πολλά. *Nam principium eam vim habet, ut multa efficiat quale est ipsum. Nam id principii proprium est, cætera sibi similia reddere.* Huic consequens est, ut sine cœlesti auxilio ad veram pietatem eniti homines aut in ea consistere nequeant: quod sicut aperte produnt sacræ literæ, ita vidit Plato, apud quem hæc legimus: πῶς οὖν ἂν Σώκρατές σοι δοκοῦσι γίγνεσθαι, εἰ μήτε φύσει, μήτε μαθήσει γίγνονται, τίν' ἄλλον τρόπον γίγνοιντ' ἂν οἱ ἀγαθοί; οἶμαι μὲν οὐκ ἂν ῥᾳδίως αὐτὸ δηλωθῆναι. τοπάζω μέν τοι θεῖόν τι μάλιστα εἶναι τὸ κτῆμα, καὶ γίγνεσθαι τοὺς ἀγαθοὺς, ὥσπερ οἱ θεῖοι τῶν μάντεων καὶ χρησμολόγοι. οὗτοι γὰρ οὔτε φύσει τοιοῦτοι γίγνονται, οὔτε τέχνῃ, ἀλλ' ἐπιπνοίᾳ ἐκ τῶν θεῶν γιγνόμενοι τοιοῦτοι εἰσί. *Si ergo neque natura neque disciplina viri boni fiunt, Socrates, quomodo eos fieri dicemus? Arbitror non facile hoc explicari. Verum ita conjicio, divinam inprimis hanc rem esse, bonosque fieri, sicut vates et præsagi fiunt. Nam hi quoque neque natura sunt tales, neque disciplina, sed divinitus inspirati tales evadunt.* (Quem locum respiciens Dion Prusæensis Borysthenica: φωνή τις ἀφίκετο βραχεῖα, καὶ ποῦ τις ἐπίπνοια θεία φύσεως τε καὶ ἀληθείας, καθάπερ αὐγὴ πυρὸς ἐξ ἀφανοῦς λάμψαντος. *Brevis vox aliqua ad homines pervenit, et afflatus quidam divinæ naturæ ac veritatis, tanquam splendor ignis ex occulto lucens.*) Simonides:

Οὔτις ἄνευθε Θεῶν ἀρετὴν λάβε.

Virtutem absque Deo nemo capit.

Sunt et similes alii apud Platonem loci, et insignis de hoc argumento diatriba Maximi Tyrii numero XXII. (Ecphantes: ἐπὶ δὲ γᾶς ἄνθρωποι ἀπῳκισμένον χρῆμα, καὶ πολὺ τᾶς καθαρωτέρας φύσιος

ἐλαττούμενον, καὶ πολλᾷ τᾷ γᾷ βαρυνόμενον, ὡς ἀπὸ τᾶς ματρὸς αὐτᾶν μόγις ἐπαίρθαι, αἰ μὴ θεομοιρῆ τις ἐμπνοίησις ἐλέῳ ζώῳ συνάψεν αὐτὸ τῷ κρείσσονι μέρει, δεικνῦσα τὰν ἱερὰν τῶ γεννάτορος πότοψιν. *Homo hic res peregrina et multum remota a puriore natura, et a terra pressum vix se quasi a matre potest avellere, nisi divinus quidam afflatus miserum animantem contingens, ipsum meliori naturæ donet, et faustum patris vultum ei ostendat.* Polybius Cynæthensibus meliorem mentem optans, addit ἵν' ἄν ποτ' αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνδῷ, *Siquando id ipsis Deus indiderit.* Cicero de N. D. II. *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.*) Seneca: *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? In unoquoque virorum bonorum habitat Deus.* Mox: *Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.* Alibi: *Deus ad homines venit, imo, quod propius est, in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est.* Fide opus esse ad ea comprehendenda quæ sub sensus non cadunt, docet sacra auctoritas. (Hæc est Plutarcho ἕδρα τις καὶ βάσις ὑφεστῶσα πρὸς εὐσέβειαν, *subjectum pietati fundamentum.*) Plato dixit: ἄθρει γὰρ περισκοπῶν μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ· εἰσὶ δὲ οὗτοι, οἱ μηδὲν ἄλλο ἡγούμενοι εἶναι ἢ ὃ ἐὰν ἀπρὶξ ταῖς χερσὶ λαβέσθαι δύναιντο. *Circumspice ac vide ne quis forte profanus audiat. Profani autem sunt, qui nihil esse existimant, nisi quod plane manibus possint comprehendere.* Heracliti hoc est subtile: ἐὰν μὴ ἐλπίζησθε ἀνέλπιστον, οὐχ εὑρήσετε ἀνεξερεύνητον ἐὸν καὶ ἄπορον[n]. *Nisi speretis quod supra spem est, non invenietis id quod inveniri nequit.* Ac Euripidis:

τἀφανὲς
τεκμηρίοισιν εἰκότως ἁλίσκεται.
Inaspicuum quod est
Per signa credibilia venari datur.

Et Xenophanis Colophonii:

Λεύσσει ὅμως ἀπέοντα νόῳ παρέοντα βεβαίως.
Spectat et hæc quæ absunt firmæ præsentia menti.

(Et apud Xenophontem Cyri Pæd. exstat: οἱ θεοὶ οὐ φιλοῦσι τοὺς ἀπιστοῦντας: *non amant dii incredulos.*) Qui Dei cultores sunt, eos a Deo exaudiri docemur tum alibi, tum Joan. ix. Idem dixit incertus poeta:

[n] Theophilus ex Platone citat μὴ δύνασθαι τὸ ἀκριβὲς μαθεῖν, ἐὰν μὴ ὁ θεὸς διδάξῃ διὰ τοῦ νόμου.

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος Θεός.
Preces piorum facilis exaudit Deus.

Non multis verbis orandum esse dixit Christus, quia Deus pater novit quibus rebus nobis sit opus. Idem late prosequitur Plato Alcibiade posteriore et Juvenalis Satyra X. Eodem pertinent versus antiqui:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
Summe parens nobis, sileamus sive precemur,
Da bona: quæ mala sunt quamvis orantibus arce.

Et alterius illud:

μή μοι γένοιθ' ἃ βούλομ', ἀλλ' ἃ συμφέρει.
Ne sit mihi quod cupio, sed quod expedit.

Unde laudatur Lacedæmoniorum formula: *τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς Θεὸν διδόναι.* *Ut det Deus honesta cum utilibus.* Sanctimoniam interiorem magis Deo gratam esse quam ritus exteriores, passim clamant prophetæ et Christus in multis adversum Pharisæos disputationibus. Huc spectat Epicharmi illud:

καθαρὸν ἂν τὸν νοῦν ἔχῃς ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ.
Pura si mens fuerit omne corpus est purum tibi.

Quod quantillum distat ab eo quod legimus Matth. xxiii. 26. et Lucæ xi. 11. quo et Pythagoricæ illius responsum referri potest, quæ interrogata quoto die a concubitu viri pura esset fœmina, respondit, *A sui statim, ab alieni nunquam:* et quod Diogenes dixit auditis versibus Sophoclis, qui omnibus initiatis post hanc vitam beata omnia, aliis mala plurima instare affirmabant[o], mirari sese si post hanc vitam melius esset futurum Patæcioni, noto furi, quam viro optimo Epaminondæ, quod ille initiatus esset, hic non esset. Huc et illud pertinet sive Menandri, sive Philemonis;

Εἴ τις δὲ θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
ταύρων τε πλῆθος, ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία
ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας ἤτοι πορφυρᾶς,
ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,

[o] Julianus ad Heraclium sic: Γελοῖον, εἶπεν (Diogenes) ὦ νεανίσκε, εἰ τοὺς μὲν τελώνας οἴει ταύτης ἕνεκα τῆς τελετῆς κοινωνεῖν τοῖς θεοῖς τῶν ἐν Ἅδου καλῶν, Ἀγησίλαον δὲ καὶ Ἐπαμινώνδαν ἐν τῷ βορβόρῳ κεῖσθαι.

εὔνουν νομίζει τὸν Θεὸν καθιστάναι,
πλανᾶτ' ἐκεῖνος, καὶ φρένας κούφας ἔχει.
δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
μὴ παρθένους φθείροντα καὶ μοιχώμενον,
κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν.
μηδὲ βελόνης ἔναμμ' ἐπιθυμῇς, Πάμφιλε·
ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών.
Adducat si quis victimas, o Pamphile,
Sive ex caprigeno pecore, sive ex bucero,
Sive adeo pecudes alias, aut dono ferat
Paludamentum ex auro sive ex purpura,
Aut ex ebore, aut smaragdo sigillaria,
Atque his propitium speret adipisci Deum,
Decipitur vanitate mentis credulæ.
Sed oportet ipsum hominem esse puris moribus,
Non felem virginalem, non adulterum,
Non furem, non qui occídit quæsti gratia.
Nec acuis filum, Pamphile, concupiveris,
Quando ipse præsens Deus inspectat omnia.

[p] Et illud non dissimile quod cum priore male confundi solet:

Μηδὲ βελόνης,
ὦ φίλτατ', ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.
ὁ γὰρ Θεός γ' ἔργοις δικαίοις ἥδεται.
πονοῦντα δ' ἐᾷ τὸν ἴδιον ὑψῶσαι βίον,
τὴν γῆν ἀροῦντα νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν·
Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν·
μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν, ὡς τῇ καρδίᾳ.
βροντῆς ἀκούσας μηδαμῶς πόῤῥω φύγῃς,
μηδὲν συνειδὼς αὐτὸς αὑτῷ, δέσποτα.
Ne tu vel ad aciculam
Unquam alienam animum adjexis, mi carissime:
Nam justis factis gaudet omnipotens Deus:
Eoque augere rem sinit laboribus,
Occando, sarriendo noctes ac dies:

[p] Josephus de Samuele lib. vi. (7.) Antiq. *ὁ προφήτης οὐχὶ θυσίαις ἔλεγεν ἥδεσθαι τὸ θεῖον, ἀλλὰ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ δικαίοις· οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τῇ βουλήσει καὶ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ κατακολουθοῦντες καὶ μηδὲν ἄλλο πραχθήσεσθαι καλῶς ὑφ' ἑαυτῶν νομίζοντες ἢ ὅτι ἂν ποιήσωσι τοῦ θεοῦ κεκελευκότος.*

Deo sacrifica semper ingenio probo,
Neu tu albam vestem magis quam mores induas:
Neu si de cœlo tonerit, fugias protinam,
Here, quippe nullæ conscius culpæ tibi.

(In anteloquio legum Charondæ erat, ἔχειν τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας· ὡς τῶν θεῶν οὐ χαιρόντων τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καθαραῖς ἐπιτηδεύσεσι: *omnis malitiæ puram mentem habento: neque enim gaudent dii pravorum hominum sacrificiis et impendiis, sed justis et honestis bonorum actionibus.* Dion Prusæensis oratione tertia a bono rege deum ait coli honestis factis et actionibus justis: —— ita eum existimare quicquid vitiose fit, idem et impium esse, pium quod recte. Cicero de N. D. II. *Cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura integra incorrupta et mente et voce veneremur.* Idem de legibus II. *Caste jubet lex adire ad deos: animo videlicet, in quo sunt omnia.*) Est et illud Menandri:

Πᾶς ἁγνός ἐστιν ὁ μηδεὲν ἑαυτῷ κακὸν
συνιδών.
Is demum est purus, qui nihil conscit mali
Sibi ipse.

Ejusdem est:

Πάντ' ἐστι τῷ καλῷ λόγῳ
ἱερόν· ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ὁ λαλήσων Θεῷ.
Ad bona verba omnis locus
Pro templo est: mens est quippe quæ loquitur Deo.

Nec spernendum illud Thucydidis: ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστιν ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν. *Nihil aliud est dies festus, quam facere quod oportet.* (Et Diogenis: ἀνὴρ ἀγαθὸς οὐ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται, *vir bonus nonne omnem diem festum habet?*) Præcipuum caritatis præceptum, quod ubique Christus inculcat, Severus Imperator eisdem prope verbis extulit: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Ultionis privatæ studium probare videntur Aristoteles et Cicero. Contrarium præcipit Christi disciplina, cui pulchre convenit Platonis illud. Οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν. Οὐ δῆτα. Οὐδ' ἀδικούμενον ἄρα ἀνταδικεῖν, ὡς πολλοὶ οἴονται, ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν; Οὐ φαίνεται. Τί δὲ δή, κακουργεῖν δεῖ, ὦ Κρίτων, ἢ οὔ; Οὐ δεῖ δήπου, ὦ Σώκρατες. Τί δέ; ἀντικακουργεῖν κακὸν πάσχοντα ὡς οἱ

πολλοὶ φασὶ, δίκαιον ἢ οὐ δίκαιον; Οὐδαμῶς. Τὸ γάρ που κακῶς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τοῦ ἀδικεῖν οὐδὲν διαφέρει. Ἀληθῆ λέγεις. *Injuriam facere ergo non licet. Neutiquam. Ergo ne si affectus quidem sis injuria, referre, quod multi putant, injuriam licet, quando injuriam facere nefas est? Non videtur. Quid vero dolo malo agere, o Criton, licetne? Minime vero Socrates. Quid ergo si quis dolo malo læsus sit, ei dolum malum reponere fas ne est an non est? Non est. Nam male quovis modo cuiquam facere ab injuria nil distat. Recta dicis.* Idem docet multis aliis in locis Plato, et Maximus Tyrius dissertatione secunda. Et Lacedæmonii precibus a Deo postulabant ἀδικεῖσθαι δύνασθαι, *injuriam pati posse.* Menandri est hoc:

> Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
> ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν.
> *O Gorgia, ille vir virorum est optimus,*
> *Qui melius aliis callet ferre injurias.*

Seneca egregie: *Inhumanum verbum est, et quidem pro justo receptum, ultio, et a contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat.* (Ariston Spartanus dicenti cuipiam regium esse amicos bene, inimicos male, facere: Immo, inquit, amicis bene facere, inimicos amicos reddere. Dion in admirabili illa oratione Siciliæ liberator apud Plutarchum philosophi studii veram demonstrationem in eo ait, non ut quis in amicos benignus sit, ἀλλ' εἴτις ἀδικούμενος εὐπαραίτητος εἴη καὶ πρᾶος τοῖς ἁμαρτάνουσι. *Sed si quis injuria affectus sit exorabilis et clemens in eos qui peccarunt.*) Notus est qui ad rem eandem pertinet Juvenalis locus. At Musonius philosophus non tantum injuriam manu referendam negabat, sed nec actionem injuriarum, ad vindictam scilicet, instituendam censebat. (Et apud Lysiam legimus ἀνελεύθερον καὶ λίαν φιλόδικον κακηγορίας δικάζεσθαι. *Minus dignum ingenuo est et hominis litigiosi ob maledicta in judicium venire.*) Male docet comœdia haud esse flagitium scortari adolescentulum, et fallax Catonis auctoritas: *Huc juvenes æquum est descendere.* At cum Christi disciplina, quæ scortatores regno cœlesti arcet, consentit illud Epicteti[q]: περὶ ἀφροδίσια πρὸ γάμου καθαρευτέον. *A concubitu ante nuptias abstinendum.* Musonii

[q] Pythagoræ factum qui Crotoniatas ἀπήλλαξε —— τῆς πρὸς τὰς ἀνεγγύους γυναῖκας ὁμιλίας: *avocavit ab omni consuetudine cum mulieribus innuptis.*

quoque hoc: *ὅσαι συμπλοκαὶ, μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί. πράττονται γὰρ δι' ἀκολασίαν. Quicunque præter adulterium concubitus extra legem fiunt et ipsi turpes sunt. Solam enim libidinem habent propositam.* (Charondas in legibus scripserat, *Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω, καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιείσθω· εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προιέσθω τέκνων τῶν αὐτοῦ σποράν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον ἀνόμως ἀναλισκέτω καὶ ὑβριζέτω. ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιΐας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας ἐποίησε τὴν σποράν. Uxorem quisque legitimam amet, et ex ea liberos quærat, nec quod proli gignendæ destinatum est alio projiciat, ne id, quod et natura et legibus pretiosum est per petulantiam perdat: non enim libidinis, sed sobolis causa natura genituram dedit.* Exstat apud Dionem Prusæensem oratione VII. locus illustris, ubi in eas, quæ suo tempore pro concessis haberi solebant, libidines severe invehitur, ostenditque non modo graviora flagitia tali permissu non impediri, sed potius inde ad illa gradum fieri.) Ad divortia connivebant olim multorum populorum leges: non item recta ratio legi divinæ congruens, unde illud est Anaxandridæ:

> Ὁ γὰρ δίαυλός ἐστιν αἰσχύνην ἔχων.
> *Reciprocum iter hoc nunquam vacat infamia.*

Et hoc Martialis:

> *Toties quæ nubit, adultera lege est:*
> *Offendor mœcha simpliciore minus.*

(Seneca: *Numquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ non consulum numero, sed maritorum annos suos computant, et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii? Tam diu istud timebatur, quam diu rarum erat. Quia vero nulla sine divortio acta sunt, quod sæpe audiebant, facere didicerunt.*) Sic et uxores una plures habere multis populis usitatum. Sed quid optimum sit bene vidit Euripides:

> Οὐδὲν γὰρ καλὸν
> δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν' ἡνίας ἔχειν,
> ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
> στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλῃ.
> *Non etenim decet*
> *Unum imperare fœminis binis virum.*
> *Contentus uno conjugis vivat toro*
> *Quicunque cupiet rite curatam domum.*

(Et alibi: οὐδέποτ' ἂν δίδυμα λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν. *Nunquam duplices laudabo toros.* Item: κακόν γ' ἔλεξας ἕν' ἄνδρα δίσσ' ἔχειν λέχη. *Narras malam rem, duplicem lectum viri.* Apud eos qui plures uxores habent C. Sallustii hoc est de Numidis dictum. *Levis ista ducitur necessitudo, quod animus multitudine distinctus nullam pro socia obtinet, pariter omnes viles sunt.*) Difficulter ad salutem pervenire divites, Christi sententia est: unde non abit Platonis illud: ἀγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον. *Fieri non potest ut qui eximie sit bonus, idem eximie sit dives.* Qui peccant, eos primum privatim monendos, deinde coram pluribus Christi præceptum est. Similiter Seneca: *Tu adhuc in prima parte versaris errorum, nec graviter laberis, sed frequenter: objurgatio te primum secreta, deinde publica emendabit.* Similes nos Deo esse debere multis locis sacri scriptores tradunt: et Plato dixit, τέλος τῶν ἀγαθῶν τὸ ὁμοιωθῆναι Θεῷ. *Bonorum finem esse Deo similem fieri.* Benefacta corrumpi si gloriæ studio præcipue fiant, Christus docet. Huic consonat laus viri boni apud Æschylum:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.
Namque optimus vir esse, non credi cupit.

Et illud Cleanthis:

Ανελεύθερος πᾶς ὅστις εἰς δόξαν βλέπει.
Illiberalis est studet qui gloriæ.

Quod Hebræorum multi non crediderunt, ut ex Josepho et recentioribus eorum magistris apparet, etiam peccati reum esse qui male facere voluit[r], non desunt qui viderint: ut Seneca: *Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est perfecta sunt.* Alibi: *Latro est etiam antequam manus inquinet, qui ad occidendum jam armatus est, et habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* (Alio loco: *non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, et non sibi.* Pater in declamationibus: *Incesta est etiam sine stupro quæ cupit stuprum.*) Quo et Ovidii illud referri potest:

Quæ, quia non licuit, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est:

[r] Cicero: *in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu.* Ælianus: οὐ μόνον ἀδικήσας κακὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι παρά γε ἐμοὶ κριτῇ. *Non is modo est improbus qui injuriam fecit, sed et qui facere voluit me quidem judice.*

Omnibus exclusis intus adulter erit.

(Ipse Aristophanes, δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν. *Nam par facere et voluisse valet.* Dion Prusæensis oratione LXVIII. καί τοι οὐχ ἧττον ὁ φόβῳ τοῦ κλέπτειν ἀπέχεσθαι δοκῶν, ἀλλὰ μὴ μισῶν τὸ πρᾶγμα καὶ καταγινώσκων, κλέπτης τῶν ὑφαιρουμένων ἐστι. *Non minus fur est, qui præ metu furto abstinet, non quod rem oderit aut damnet, quam qui aliena subtrahit.*) Quo sensu et Tryphoninus Jurisconsultus, adulterum ait dici posse ex animi propositione sola, etiam eum qui nunquam alienam matrem familias corruperit: si modo ejus mentis sit ut occasione data id commissurus sit. (Et Aristides justitiam definiebat, τὸ μὴ ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν, *aliena ne concupiscere quidem.*) Pœnitentia quantas laudes ac promissiones habeat in sacris literis nemo nostrum ignorat. Et Plutarcho μεταμέλεια, σώτειρα δαίμων. *Pœnitentia salutaris Dea.* Et alibi: τὰς μὲν ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος, τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐργάζεται. *Alios dolores aufert ratio. Pœnitentiam ipsa creat.* (Apud Arrianum legimus, μόνη ἴασις ἁμαρτίας, ὁμολογεῖν τε ἁμαρτάνοντα, καὶ δῆλον εἶναι ἐπ' αὐτῇ μεταγινώσκοντα. *Unica peccati medicina fateri se peccasse et signum edere animi pœnitentis.* Pindaro dictum: ἀκεσταὶ ταὶ ἀγαθῶν φρένες: *sanabiles bonorum mentes.*) Quod si jam referre pergam quas partes historiæ veteris aut novi fœderis scriptores Græci Latinique testimonio suo approbaverint, quid illorum ritus simile habuerint aut novis aut recentibus sacramentis, longius ab instituto abeat et nimium excrescat præfatio: quam paulo longius produximus, ut juvenum, qui hoc Stobæi libro et similibus aliis utuntur, et cautionem ad spernenda, si qua sunt, mala, et ad recta observanda diligentiam excitaremus. Quod si versio nostra non ubique tam vegeta est ac florida, quam accurata judicia desiderent, dabit veniam lector, si quid habet humanitatis, gravissimis calamitatibus inter quas natus est hic fœtus. Quarum si post partem maximam exhaustam nunc quoque pars restat aliqua, mendacia et calumniæ in nos et potentum minæ, feremus cum bono Deo, et Homericum illud sæpe repetemus animo:

Τλῆθι φίλη κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Dura anime et perfer; namque et graviora tulisti.

POSTSCRIPTUM.

Hoc quoque lectorem monitum volumus, ex pluribus lectionibus, quæ in vulgatis codicibus exstabant, receptam a nobis quæ melior videretur: usos quoque nos emendationibus, quæ editorum librorum margini erant adscriptæ, quoties eas rectas putavimus. Nomina autem auctorum et locorum adscripsimus ex auctoritate MS. A. sæpe a vulgatis codicibus plurimum discrepantis: nisi sicubi certo constaret aliunde esse depromtam sententiam, puta quia is liber exstaret, aut sententia alibi expresso auctoris nomine laudaretur. Sed et in nominibus affinibus id secuti sumus, quod versuum ratio postulabat. Ita cum sæpe mutata inter se sint Philisci, Philemonis, et Philetæ nomina, tragicos versus[a] Philisco, comicos Philemoni, elegiacos Philetæ assignavimus. Sed ne hoc quidem mirari debes, siquando sententia aliqua asscriptum habeat nomen Tragœdiæ, eamque sententiam nunc in ejus nominis Tragœdia frustra quæras. Nam sæpe eidem poetæ ejusdem argumenti plures tragœdias temporibus diversis fecere, aut etiam parte relicta partem immutarunt, ita ut duplex editio earum ad posteros pervenerit: quod multis exemplis probari posset.

[a] Philiscus Ægineta Tragœdias scripsit auctore Diogene.

EX ADDENDIS NICOLAI SCHOWII
AD CHARTAM PAPYRACEAM
MUSEI BORGIANI VELITRIS ROMÆ 1788.

EDITIONES *Sermonum Stobæi*, ut eruditis notum est, ad duas classes referri possunt, *prima* nempe Stobæi sermones breviores, *altera* pleniores exhibet: in *prima classe* collocandæ sunt ed. Veneta per Jo. Fr. Trincavellum, MDXXXV. prima Basileensis, MDXLIII. Ad *secundam classem* pertinent altera Basil. MDXLIX. Gesneriana Dilingæ, MDLVI. Wecheliana Francofurti, MDLXXXI. repetita Aureliæ Allobrogum, MDCIX. Hæc editionum diversitas eandem quoque in MSS. differentiam arguit: dolendum autem est, majorem esse eorum codicum numerum, ex quibus primæ editiones provenerunt, quam eorum, ex quibus recentiores adauctæ sunt et locupletatæ. Sic omnes *Sermonum Stobæi* codices, qui Romæ adsunt, quosque omnes consului, ex eodem omnino archetypo descripti sunt, cui textus primarum edd. *Trincavelli* nempe et *primæ Basil.* originem suam debent. In *bibl. Vaticana* duos tantum codices, qui *Stob. sermones* continent, inveni (sub nn. 954. et 955.) unum in 4. alterum in fol. chartaceos, sæc. XV. quorum prior negligenter scriptus est, posterior emendatius: textum primarum edd. exacte sequuntur, nisi quod in fine sententiarum *Theoctisti* post verba, *ἅπερ αὖ κατὰ τὸ ἐναντίον χωρῆσαι* — nonnulla adduntur, quæ in edd. desunt, quæque ita incipiunt: *Ἱππόμαχός τις ἦν τῶν πάλαι γεγονότων ἀνὴρ γυμναστὴς, καί ποτε ἔτυχε συγκαθεζόμενος ἄλλοις ἰδιώταις τῆς τέχνης* &c. Finiuntur in sententiis *Marci*. In fine cod. Vat. n. 954. adscripta sunt: Μιχαῆλος Ἀποστόλης Βυζάντιος *μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς αὐτοῦ πατρίδος, πενίᾳ συζῶν, καὶ τόδε τὸ θεῖον βιβλίον μισθῷ ἐν* Κρήτῃ *ἐξέγραψεν.* Scriptus est igitur in Creta post expugnatam a Turcis Constantinopolin. Cum hisce omnino consentit is, qui in *bibl. Angelica* adservatur, ex eodem fonte deductus et ejusdem fere ætatis, satis quoque negligenter scriptus: interea hosce codices etiam cum utilitate in locis difficilioribus consului. Ad alteram codicum MSS. classem pertinet egregius ille cod. Cæs. Vindobonensis, quo Vindobonæ usus sum, cujusque ope permulta textus vulgati loca partim emen-

davi, partim supplevi, scriptus, ut videtur, circa finem sæculi decimi: codices hujus generis admodum rari sunt, nec similem adhuc inveni; etsi reg. Parisiensis, quem tantum ex cl. Brunckii *poetis gnomicis* cognosco, Cæs. Vindobonensi bonitate ac præstantia vix cedere videatur. Eorum omnium, quæ textui *Sermonum Stobæi* emendando ex bibliothecis Anglicanis inservire possunt, doctissimus Chandlerus, quem hic Romæ cognoscere mihi contigit, spem fecit; hinc, ut spero, subsidiorum criticorum nulla aderit penuria. Consultis codicibus, opus typis paratum erit; totum enim textum descriptum jam ac emendatum in scriniis meis adservo. Institutum autem hoc erit: omittam nempe in prosaicis, si viris doctis ita placuerit, fragmenta *Platonis, Xenophontis, Isocratis, Theophrasti, aliorumque auctorum editorum*, hæc enim novæ editionis onera sunt, nullumque verum criticum usum habent; iis tamen servatis, in quibus inter textum Stobæi eumque, qui alibi vulgatus est, magnum aliquod discrimen intercedere deprehenditur, inter quæ inprimis Epicteti fragmenta refero. Nullam quoque versionem Latinam addam; hæc enim editionem minus parabilem reddit, nullamque veram utilitatem præstat, nec viri solide eruditi, qui in historiam antiquæ poeseos aut philosophiæ Græcorum inquirunt, quibusque solis Jo. Stobæi chrestomathia utilis esse potest, ea indigere videntur; cui tamen defectui commodiori forsan ratione medebor. Solum igitur textum Græcum, cujus fundus est editio MDCIX., exhibebo, criticis rationibus emendati textus unicuique paginæ subjectis. Calcem textus Græci breves notæ in fragmenta difficiliora sequentur. Addentur denique in fine operis indices auctorum et rerum: in indice auctorum Fabricii bibl. Græca suppletur et corrigitur. In præfatione de auctore ejusque fontibus agitur, editionum quoque et codicum historia critica enarratur. Interea Sermonem CIV. (Περὶ τῶν παρ' ἀξίαν εὐτυχούντων) hic speciminis loco subjungam:

Εὐριπίδου Βελλεροφόντης[a].

A. Τιμή σ' ἐπαίρει τῶν πέλας μᾶλλον φρονεῖν.
B. Θνήσκοιμ' ἄν· οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος
κακοὺς ὁρῶντας ἐκδίκως τιμωμένους.

[a] Sunt omnes fabularum tituli ex cod. Cæs. quem omnium hac in re adcuratissimum deprehendi. Videtur in h. fr. ipse Bellerophon arrogantiam sibi exprobranti respondere. Tzetzes ad Lycophr. v. 17.

———— Δίκτυος·

Πολλοῖς παρέστην κἀφθόνησα δὴ βροτῶν,
ὅστις κακοῖσιν, ἐσθλὸς ὢν, ὅμοιος ᾖ,
λόγων ματαίων εἰς ἅμιλλαν ἐξιών·
τὸ δ' ἦν ἄρ' οὐκ ἀκουστὸν οὐδ' ἀνασχετὸν,
σιγᾷν κλύοντα δεινὰ πρὸς κακιόνων.

———— Οἰνεῖ[b]·

Ὅταν κακοὶ πράξωσιν, ὦ ξένοι, καλῶς,
ἄγαν κρατοῦντες, κοὐ νομίζοντες δίκην
δώσειν, ἔδρασαν πάντ' ἐφέντες ἡδονῇ.

———— Ἱκετίδων[c]·

Ἦ δὴ νοσῶδες τοῦτο τοῖς ἀμείνοσιν,
ὅταν πονηρὸς ἀξίωμ' ἀνὴρ ἔχῃ,
γλώσσῃ κατασχὼν δῆμον, οὐδὲν ὢν τὸ πρίν.

Ἐν ταὐτῷ[d]·

Φεῦ, φεῦ, κακοῖσιν ὡς ὅταν δαίμων διδῷ
καλῶς, ὑβρίζουσ' ὡς ἀεὶ πράξοντες εὖ.

———— Τημενίσι·

Πολλοὶ γεγῶτες ἄνδρες οὐκ ἔχουσ', ὅπως
δείξωσιν αὐτοὺς τῶν κακῶν ἐξουσίᾳ.

Μενάνδρου Θεοφορουμένῃ[e]·

Εἴ τις προσελθών μοι θεῶν λέγοι· = Κράτων,
ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ·
ἔσῃ δ', ὅ τι ἂν βούλῃ· κύων, πρόβατον, τράγος,
ἄνθρωπος, ἵππος· δὶς βιῶναι γάρ σε δεῖ,
εἱμαρμένον τοῦτ' ἐστίν· ὅ τι βούλει δ', ἑλοῦ. =
Ἅπαντα μᾶλλον (εὐθὺς εἰπεῖν ἂν δοκῶ)
ποίει με, πλὴν ἄνθρωπον· ἀδίκως εὐτυχεῖ

[b] Diomedes, ni fallor, ad Calydonios de Agrii filiis, qui avum Oeneum regno spoliaverant. Apollod. bibl. lib. i. pag. 37.

[c] V. 423. Ad Theseum nuncius Creontis, qui democratiam damnat. τὸ νοσῶδες, *quod animi ægritudinem facit.* Soph. Oed. T. v. 1079. Iocaste ad Oedipum:

Μὴ πρὸς θεῶν, εἴπερ τι τοῦ σαυτοῦ βίου
κήδῃ, ματεύσῃς τοῦθ'—ἅλις νοσοῦσ' ἐγώ.

Veram lectionem, νοσοῦσ' ἐγὼ, quam cl. Brunckius bene in textum recepit, confirmat cod. Chigianus, summæ in emendando Sophocle auctoritatis: in omnibus codd. Vindobb. librarii, Atticismo adsueti, νοσοῦσ' ἔχω scripserunt.

[d] Ibid. v. 463. verba chori.

[e] Titulus fabulæ jam primum ex cod. Cæs. additur. Cognita sunt et alia ejusdem fabulæ fragmenta, in quibus et ridendi moresque sæculi perstringendi mulierculæ circumforaneæ, quæ numine quodam adflatas se credebant, materiam præbent.

κακῶς τε πράττει τοῦτο τὸ ζῶον μόνον.
Ὁ κράτιστος ἵππος ἐπιμελεστέραν ἔχει
ἑτέρου θεραπείαν· ἀγαθὸς ἂν γένῃ κύων,
ἐντιμότερος εἶ τοῦ κακοῦ κυνὸς πολύ·
ἀλεκτρυὼν γενναῖος ἐν ἑτέρᾳ τροφῇ
ἐστὶν, ὁ δ' ἀγεννὴς καὶ δέδιε τὸν κρείττονα.
Ἄνθρωπος, ἐὰν ᾖ χρηστὸς, εὐγενὴς, σφόδρα
γενναῖος, οὐδὲν ὄφελος ἐν τῷ νῦν γένει·
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τὰ τρίτ' ἔχει[f].
Ὄνον γενέσθαι κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
ὁρᾷν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον.

Θεόγνιδος[g]·

Καὶ σώφρων ἥμαρτε, καὶ ἄφρονι πολλάκι δόξα
ἕσπετο· καὶ τιμὴν τὶς κακὸς ὢν ἔλαχεν.

Ἐν ταὐτῷ[h]·

Πολλοῖς ἀχρήστοισι θεὸς διδοῖ ἀνδράσιν ὄλβον
ἐσθλὸν, ὃς οὐθ' αὐτῷ βέλτερος οὐδὲν ἐὼν
οὔτε φίλοις. Ἀρετῆς δὲ μέγα κλέος οὔποτ' ὀλεῖται·
αἰχμητὴς γὰρ ἀνὴρ γῆν τε καὶ ἄστυ σάοι.

Σοφοκλέους Ἀλείτης[i]·

Δεινόν γε τοὺς μὲν δυσσεβεῖς κακῶν ἄπο
βλαστόντας, εἶτα τούσδε μὲν πράσσειν καλῶς·
τοὺς δ' ὄντας ἐσθλοὺς, ἔκ τε γενναίων ἅμα
γεγῶτας, εἶτα δυστυχεῖς πεφυκέναι.
Οὐ χρῆν τάδ' οὕτω δαίμονας θνητῶν πέρι
πράσσειν· ἐχρῆν γὰρ τοὺς μὲν εὐσεβεῖς βροτῶν
ἔχειν τὶ κέρδος ἐμφανὲς θεῶν πάρα,
τοὺς δ' ὄντας ἀδίκους τῶνδε τὴν ἐναντίαν

[f] Textum ex cod. Vat. et Cæs. restitui, quem Grotius in Florilegio eodem fere modo emendaverat: antea legebatur: τὰ τρίτα λέγει. contra metrum.

[g] V. 678. ed. Brunckii. Etiam ex cod. Cæs. et edd. Theognidis ἕσπετο pro vitioso ἄπτετο scripsi, quemadmodum et τιμὴν pro τιμῆς. Soph. Aj. M. v. 841. Ajax ad Jovem supplex:

Αἰτήσομαι δέ σ' οὐ μακρὸν γέρας λαχεῖν.
(Ita scribo ex codd. Vindobb., Chigiano, et Casanatensi).

[h] V. 845. οὐθ' αὐτῷ ex edd. Theognidis et codd. reposui: particulæ οὐδὲ et οὔτε frequenter a librariis permutantur.

[i] In omnibus hujus fabulæ fragmentis lemma Ἀλείτης cod. Cæs. ubique exhibet, cujus argumentum procul dubio in Hygini fab. CXXII. enarratur, ita ut in h. fr. ad Aleten, Ægisti et Clytemnestræ filium, respiciatur, qui, dum Orestes in Taurica Dianæ immolatus ferebatur, regnum Mycenis occupaverat.

δίκην, κακῶν τιμωρὸν, ἐμφανῆ τίνειν·
κοὐδεὶς ἂν οὕτως εὐτυχῇ κακὸς γεγώς.

Δημοσθένους Ὀλυνθιακὸς α΄. [k]

Τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.

——— Ὀλυνθιακὸς β΄. [l]

Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων εἰσίν· εἰ δέ τις πταίσει, τότ' ἀκριβῶς διακαλυφθήσεται ταῦτα πάντα.

Ἐκ τῶν Ἀριστωνύμου·

Ἔοικεν ὁ βίος θεάτρῳ, διὸ πολλάκις χείριστοι τὸν κάλλιστον ἐν αὐτῷ κατέχουσι τόπον.

[k] Ed. Basil. 1572. tom. I. pag. 4. lin. 8. ubi Philippum innuit.

[l] Ibid. pag. 7. lin. 34. ita scribitur: Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη· εἰ δέ τι πταίσει, τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ πάντ' ἐξετασθήσεται. Quod hic de solo Philippo dicitur, Stobæus generatim extulit: ex quo magna lectionis varietas oritur.

EXCERPTUM EX NICOLAI SCHOWII

EPISTOLA AD C. G. HEYNIUM

ROMÆ 1790.

VELLEM jam, Vir Amplissime, ut redux in Germaniam, ubi post tot annorum itinera, labores, animique curas, requiem aliquam quæro, honestum invenirem bibliopolam, cui animus esset necessarios in novam *Stobœi Sermonum* editionem sumptus erogandi; quod tamen Tua auctoritate Tuisque consiliis facile me impetraturum esse spero. Consilium enim, quod ante duos annos publice manifestavi, nec Tibi nec aliis displicuit, novaque editio, ut equidem audio, ubique desideratur; nec, cum *Eclogas* eruditione atque industria Heerenii Tui auctiores ac emendatiores in lucem prodire brevi exspectemus, æquum esset, ut *Sermones*, in quibus tot tantaque poeseos, ac philosophiæ antiquæ nobis servata sunt monumenta, minoris haberentur pretii, aut indigni, quibus eadem adhiberetur medela.

Omnia jam, ut ultimis literis Tibi nunciavi, in promptu ha-

